














Adam Krentzer.





ΤΟ
ΘΕΙΟΝ
DE
PESTILENTIA
Liber vnus
VETERVM ET NEOTERI-
corum obseruatione constans,
AVCTORE
Raymundo Minderero
Medicinæ Doctore &
Reip. Augustanæ
Physico.
Elige
quod
Volueris.
Ex omni
parte
angustiæ.
Alexander
Sufficit nunc contine manum tuam.
Mayr augs. fe.



NOBILITATE ET PRVDENTIA CLARISSIMIS VIRIS

MARCO VELSERO, IOANNI IACOBO RHEMBOLT.

AVG. VIND. DVVMVIRIS PRÆF. Septemuirûmque collegio amplissimo.



THLETARVM in Gymnasiis ac Olympicis Veterum certaminibus quôdam luctari solitorum, ac post conflictum Apotherapiâ vtentium corpora, pro prisco Romanorum more strigili rasa, sordesq́; quæ ab his scalpellis

(:·) exceptæ

exceptæ deſtringebantur, ſtudioſè aſſeruatas fuiſſe legimus, Patres ampliſſimi. Quod cum mecum ipſe non ſemel conſiderarem, operas haſce meas, poſt habitum cum atrociſſimo Peſtilentię morbo duellum, tanquam laborum ac deſudationum mearum quædam quaſi ſtrigmenta, ſi nō vtilitatis, ſaltem alicuius recordationis cauſa reſeruandas eſſe exiſtimaui, vt ſi hæ nullius vſus eſſe poſſent, ſaltē rerum geſtarum quandoq́; memoriā refricarent.

Cum autem hanc meam opellam nuper natam, ac tenellulam, beneficis ac tutelaribus clariſſimorum virorum vlnis excipi, ac foueri, & cuperem & optarem, eam adhuc ex cunis vagientem

tem apud vos deponere visum fuit, vt huic vestra cum auctoritas, tum verò & beneuolentia patrocinaretur. Et verò has ipsas sudorum meorum exuuias, quas ex Medica palestra protuli, vestræ dignitati mancipare haud indecorum esse ratus sum, cum vestro nutu ac imperio, hac Alindesi volutatus, destrictiones non nisi ad vos, tanquam Dynastas & Gymnasiarchas referre sit æquũ, vt à quibus tam difficilis & arduę pugnę labor defluxit, ad eos quoque quietis spolia peruenirent, cum præsertim ingeniorum vestrorum splendor insignis, quo iam dudum etiam exteris nationibus frui datum est, fidos ac varios, variorum, in vario discipli-

narum genere versantium cona-
tus, copiosâ benuolentiâ, ac sin-
gulari quadam, & plusquam be-
nignâ, cum erga scientias & ar-
tes, tum verò & artifices propen-
sione, & alat, & adiuuet. Quan-
doquidem verò ex acri hoc præ-
lio, non auro intertextas loricas,
non clypeos argento nitentes,
sed nudam ferè vitam, ac lassa
brachia, defatigatosq́; lacertos
reportare licet, ideò derasioni-
bus hisce meis (quoniam hodiè
vel maiora, vel meliora dare non
possumus) contenti, non oblati
muneris valorem ac pretium, sed
dantis conatum, & promptam
omninò ac piam erga patriam,
voluntatem perpendite.

Narrat Plinius ludorum prę-
fectos

fectos ſeu Gymnaſtas ſtrigmenta octingentis quondam ſeſtertiis vendidiſſe, quod hæc, vel Dioſcoride teſte in Medicum vſum ad bubones emolliendos, & lactantium vberum humores diſcutiendos (vt Galenus diuerſis in locis refert) expeterentur, vndè ſordido quantumuis muneri vobis à me oblato, aliquid ſaltem cõmoditatis ineſſe haud parum gauiſus ſum, quod Reipub. ac communi ciuium bono quandoq; conducere poſſet. Et quia corporum has ſordes, oleo ſeu Ceromate quo Athletæ luctaturi antè pancratium delibuti perungebantur, ſudore quem vehemens exercitatio, & fortis pugnæ labor prolectauerat, ſorde huma-

nâ extremæ cuti adhærente, ac puluere in quo duellum perficiebatur, constitisse nouimus, mea hæc quoq; strigmenta oleo gratiæ diuinæ, quâ fretus ad tanti tamq́; periculosi morbi curationem audacius alacriusq́; accessi, & per quam mihi hæc ipsa discere, ac pro posterum memoriâ annotare datum est, sudore ac eo quidem in tot laboribus multo, sorde humana cui sordidus hic morbus pestilens insidet, ac copioso quoque periculorum puluere constare, & sic pestilentibus quoque bubonibus depellendis commodè adhiberi posse vt existimetis oro, non modò pupillam hanc meam operam nomine vestro apprimè conspicuo tutaturi,

tutaturi, ac à cauillantiũ momorum inuidiosis insidiosisq́; morsibus ac puncturis securam reddituri, sed etiam eidem vestro splendore maiorem cum fidem, tum auctoritatem conciliaturi.





AVCTORIS AD CANDIDVM LECTOREM PRÆFATIO.



NOSTRA *nunc demum vindemia redeuntes, ingenue ac candide Lector, vuarum à nobis collectarum expressarumq́; succum, aduenis hospitalitatis quodam iure, legeq́ue amicitiæ gustandum libandumq́ue porrigere æquum esse censuimus. Quamprimum enim vinum è torculari defluxit, ab omnibus ferè, vt iam alia silentio prætercam, vel hanc solam ob causam tantoperè expetitur, quod mentem diuinitus sibi infusa quadam vi exhilaret, & pulso mærore dicussisq́ue ærumnarum tædiis tristitiæ fatigationes discutiat,*

& cor

& cor anxium, iucunda curarum obliuione refocillet. Non hic autem pruinis vitiatorum vel vuarum immaturarum crudum ſuccum Agreſtam vocari ſolitum offerimus, ſed maturum planè vinum, idq́ue ſi non meracum ſitu ac reſidentia depuratum defæcatumq́ue, ſaltem protropum, quod tametſi turbidum adhuc ſit, nondumq́ue deferbuerit, dulce tamen ſit & palatui quàm gratiſſimum, quale ganearum magiſtri ac epulones lacti nuper mulſo iucunditatis quadam ſimilitudine æquiparare non dubitârunt. Per Agreſtam ſeu vuæ immaturæ aut cœli inclementiâ, frigore, vel pruinis vitiatæ ſuccum, cum peſtilentis morbi acerbitatem, cuius auſterus calix, vt ſi fieri poſſit, ab omnibus tranſeat & opto, & Deum precor: tum etiam laborum meo-

rum prætenuem hanc texturam ſubintelligo, quæ ſi ante noſtras calamitates DEI beneficio ſuperatas à vite decerpta in vulgus dimanaſſet, acerba, auſtera, pontica ac ingrata vtpotè nondum penitus matura & videri, & haberi non iniquè potuiſſet. Nunc autem cum à primis capreolis ritè excreuerit, & ſub laborum magnorum multorumque æſtu non aliter quàm ſole cocta maturuerit, ſuccum præbituram mihi viſa eſt talem, qui & vini nomine dignus eſſe, & ſi non omnium guſtui blandiri à plurimis tamen potari queat.

Diuerſa vinorum genera in ſympoſiis numerari menſiſque ſpecioſo nonnunquam numero apponi, non ſine admiratione perſæpè cognouimus, quorum vnum colore, ſapore, odore, ac præſtantia alterum vincat, quorum tamen

quodq; suã pro debitâ proportione laudem mereatur: sic & ego quoque exilem hanc meam operam, inter tot tantorumque virorum lucubrationes non aliter quàm vinum olygophoron inter meraca reponens, si non eam laudem qualia Cretica, Chia aut Lesbia obtinere potuerit, saltem inter Rhenana aut Neccarica tenuiora aliquo saltem encomio celebratam iri confido.

At verò austerum hunc craterem quis ori admouere audeat? vel quis visis solummodo his poculis (vtpotè venenatam in jis, ac quasi Medeæ infausto artificio comparatam potionem iusto pauore respuens & auersabundâ indignatione abhorrens) non expauescat? Minimè gentium, vinum enim hoc iam deferbuit, & depositâ fæce adeò euasit limpidum, vt & ab ægris, & à sanis

pari utriusque commodo potari queat, cum qui inculpatâ sanitate fruitur ad eiusdem conseruationem, morbo verò pressus ad amissæ sospitatis reparationem hoc ipso commodissimè frui possit, undè non tam ægris qua ratione suam (quantum id quidem nobis à Domino DEO datum est) miseriam pellere valeant, quam quo modo prospera valetudine & secundo corporis habitu gaudentes ne morbo pestilenti obnoxii fiant ac à tam formidolosi mali clandestinis ac lethum minantibus insidiis sese tutari possint, studiosè conscripsimus. Quos proindè plusquam extimescendæ luis nomen perterrefacit, ijdem re probè intellectâ, præpotentis DEI misericordiam, copiosis ijsque fidis remediis (dummodo hæc maturè ac ritè administrentur) humano generi beni-

gniter prospexisse intelligent. Et licet cuncta ferè quæ in Praxi conspiciuntur & fastidiosissima sint & periculi plena (vt alias circumstantias haud parum horrendas taceam) attamen hæc in Theoria & nudâ rei cognitione adeò euadunt & iucunda, & vtilia, vt cognitio vtilitatem, & hæc è contra iucunditatem procreet, vndè quæ modò cognoscere iucundum est, aliquando cognouisse vtile forsan sit futurum, quam quidem vtilitatem alia rursus iucunditas denuò sit subsecutura. Studuimus autem semper ne à veterum doctrinâ ac placitis discederemus, nostri enim instituti nunc non est nouas extruere machinas, sed antiquam maceriem ac Medici ædificij perquam vetusti ruinas & rudera rursus nonnihil erigere ac reparare, vtpotè in cuius ca-

uernis multæ multorum sanitates refugij locum sint adeptæ ac consecutæ. Quæ noua sunt, ut inaudita, nouitatis quodam applausu prima fronte vulgus admiratur, & singulari curiositatis studio confestim amplectitur, antequam hæc usus examinata probauerit, undè leuitatis suæ (utpotè per quam apparentiis de facili credunt & assentiuntur) magnas persæpè dat pœnas, quomodo eos qui Pestem unâ vice sese extincturos plenis buccis superbè pollicitos fuisse recordamur, quos tamē non Pestem sed vitam extinxisse notauimus.

Non hic igitur valet nouitas à vetusta obseruatione aliena, ac per se noua, nisi huic tanquam iuniori, veluti Scipioni senex, prisca obseruatio innitatur, cuius tamen senili prudentiâ ac consilio nouitas & vtatur, & gaudeat,

& cum morbus hic ſubdolus ac verſipellis aſtutum magis quàm audacem Medicum requirat, fit vt nulla Neotericorum vis niſi prudens hanc & ſenile conſilium probè direxerit, & iuſtà moderatione tanquam habenis quibuſdam gubernauerit, eum vnquam ſit expugnatura. Videbis autem ſi hæc ſtudioſè legeris, ac ſine liuore cum conſideratione penſitaueris Hippocratem, Galenum, Auicennam alioſque priſcos Medicos, ita de Peſte ſenſiſſe, quibus non modò veteres Hiſtorici, verum etiam Poëtæ adſtipulantur ac ſubſcribunt, vtpotè Thucydides, Virgilius, Ouidius, Lucretius, ac complures alii vnam eandemque in ſententiam declinantes, quorum nos tramitem ac veſtigia ſecuti, rectè eos ſcripſiſſe, Medicinā faciendo deprehendimus.

Vix

Vix autem obtrectatores defuturos dubitamus, qui nostros hos conatus vel inuidia perciti conuellere, vel nescio qua æmulatione commoti aliqualiter saltem conspurcare sint aggressuri, cum vel Homerus qui tamen Poëtarum dux extitit, suum Zoilum Macedonem pati coactus fuerit qui Iliadem Odysseamq; carperet, nos enim aliena inuenta protulisse dictitabunt & aliorum labores venundare forsan comminiscentur, quibus sic responsum esse volumus, nostra hæc si non legerint carpere vt omittant, etenim vbi legerint, rem aliter sese habere deprehendent. Et quamuis nonnulla in medium à nobis adducta sint quæ clarissimorum quorundam virorum ingenia primitùs protulère, studio tamen id singulari à nobis est factitatum, cum vt aliorum quoque sensa nos

ſa nos cognouiſſe, & ex propriâ opinione nihil vel parum (niſi quod laborioſa & difficilis experientia tradidit) aſtruxiſſe cuncti intelligant, tum vt gratius iucundiusque hæc noſtra ſcripta legantur, vtpotè aliorum ſententiis tanquam adſtipulatione quadam confirmata. Sic igitur inter noſtra dumeta aliorum Roſas & Lilia nitêre voluimus, vt non aliter quam peritus Pharmacopæus vtili quidem aſt iniucundo medicamini gratum odoratæ alicuius rei admixtione ſaporem ac odorem conciliare nititur, ſic noſtræ hæ exarationes doctrinâ pariter ac experientiâ illuſtrium ingeniorum aroma ſaperent. Tu vero candide lector, ſi hæc eo animo quo à nobis ſcripta ſunt acceperis, non dubitamus, te, ſi non operi, ſaltem conatui gratias habiturum. DEVM

autem Opt. Max. vt hæc cœpta benigniter aspirando præueniat & adiuuando clementer prosequatur exorare conuenit, is enim facit mirabilia magna solus.





IN LIBRVM DE PESTE

DOCTISSIMI ET CLARISSIM VIRI D. RAYMVNDI MINDERERI MEDICI Auguſtani.

Carmen.

PHILIPPI MENZELII MEDICINÆ DOCTORIS ET IN CELEBERRIMA INGOLSTADIENSIVM ACADEMIA PROFESSORIS ORDINARII.




Apulat, & meritas dat acerbo
funere pœnas,
Heu, miſerum mortale genus,
maleſana propago,
Infelicis Adæ, prima vel ab vſq; iuuenta,
Ad canos, vitium ſemper procliuis in omne
Ipſe pater (morti reſerata hæc quando feneſtra eſt,

In mundum) veniæ quanquã largissimus, idem
Attamen, & iusta vindex accenditur ira:
Suppliciisq; premens sontes, delicta coërcet.
Nimboso pendens sic visus in aëre quondam
Nuntius, atque vltor diuinæ penniger iræ,
Ense ferox stricto gentem Israelitida magnam,
Ob regis malefacta sui, demittere letho.
Quã pœnã ante fami tulit, & septennibus armis
Ille, DEO votum non aspernante, potitus.
De genere hoc, durãs hodiè (nî fallor) & illa est,
Aut cœli vitio, aut contage, aut spontè suborta,
Dira lues flammam, putri perfusa veneno,
Intùs alens, maculosa cutim, bullataq; inustis
Tuberibus: quæ sæua die dans funera mille,
Sternit humi intactæ florentia robora pubis:
Nec teneræ ætati, senibus nec parcit anhelis:
Diluuioq; agros populans euastat, & vrbes.
Quæ tanto medicina malo sit, dicere mussant
Pæonii, & vixdum sat constituêre, magistri.
Luctificæ indomita est adeò violentia noxæ.
*Heus, age, quem placuit superis, M*INDRE-RE, *tot inter*
Seruare incolumem, mortes & tristia fata
Versantem, & medica miscentẽ pocula dextra,
Augustam nuper quum pestifer annus haberet:
Augustam, terræ florem Germanidos: ac tum
Vindelicus multò lacrymis Lycus auctior iret:
Explorata tenes vsu quæcunq; magistro, (est.
Candidus ede. Salus (scio) nã tibi publica cordi

Neu

Neu terra cessator iners absconde talentum,
Si quod habes; strophióue velis mandare ligatũ.
Nam neq; , seruatis hominum tot millibus, vna
Frugiferens donandus erit labor ille corona.



Aliud ad eundem.

SI Medico dignum satagis contexere sertũ,
Ne vario pauitans delires tramite, fauces
Incassum dubias, tentes penetrare viarum.
Longiùs hæc absint, moneo. Per lumina circum.
Est propè, quem subeas spatiosi verticis hortum:
Frigus iners iacet, en vernat noua Solibus æstas:
Innocui grato spirant vbi murmure venti.
Hinc age, thura legas, & odoro balsama succo,
Triste nefas, pestisq; fugant hæc fata retrorsum.
Inspice, volue libellum, impensam funeris, arte
Mox circumcides: pollinctæ vestis honorem
Despicies: lucri neu quid fortasse relinquas.
Ære Venus libitina suum conquirere censum
Gaudet: & argenti funesto pondere, complet
Fanum luctifici numis dum spicula lethi
Designat; REMVNDE tuo quis parcimus ausu.
Amplius haud tragicos opus est sufferre labores,
Sidere cum fausto monstres, contagia membro
Transitione nocere suâ, lædatur vt omne,

CARMEN.

Transitione perire tuâ, releuetur vt omne.
Macte Machaon, cursum vrge, tu rebus agendis
Vtilis: hinc patrii tibi candor & ardor honoris.
Viue bonis, parili conscribas commoda nisu.
Laus tua sexcentos minimûm facgliscat in an-
nos.

Ioannes Bayerus, Rhaina-
nus, Iureconsultus.



EPIGRAM-

EPIGRAMMA

AD CLARISSIMVM VIRVM D. RAYMVNDVM MINDERERVM MED. DOCTOREM de Peste ſcribentem.

EXpertes ſcribunt aliqui rationis & vſus,
Vſu qui pollent, ſunt rationum inopes,
Spreto vſu multi ſolis rationibus hærent,
Occultant vſum cum ratione, alii.
Primorum mentes inſcitia cœca fatigat,
Eſt aliis fallax, mancaq́ꝫ cognitio;
Poſtremi inuidiâ turgēt: tu (MINDERER) omnes
Vincis, vt arte, alios ſic pietate alios.
Namq́ꝫ quod eſt abs te, ratione vſuq́ꝫ repertum,
Ad peſtem ſpectans, id facis omne palam,
Nec quidquam retices, arcanum ſit licet illud,
Artis id eximiæ eſt hoc pietatis opus.
Hippocrates talis, talis fuit ipſe Galenus,
Heroas iactat quos Medicina ſuos.
Perge igitur, nec te hinc abducat deuius error,
Poſteritas nomen ſic colet alma tuum.

Edmundus Hollyngus, Anglus. Med. Doctor eiuſdemq; in celeberrima Ingolſtadienſi Academia Profeſſor ordinarius.

Aliud ad eundem.

PErdere, tabificæ postquam contagia pestis
Illyricos vidit, Cous ad vsque sinus.
Neu patriæ fines, neu dulcia carperet arua
Triste malum, doctâ præcauet ille manu.
Dũ furit in populos, vrbesq́ & compita passim,
AVGVSTÆQVE, lues, mœnia sacra subit.
RAYMVNDVS properat Medicâ succurrere dex-
Staminaq́ inuisæ, vi retinere Deæ. (trâ,
Nec ciues seruasse sat est, patriamq́ per artes
Pœonias, diram vel pepulisse necem,
Quin etiam in lucem, multo congesta labore,
Candidus impertit, pharmaca mille libro.
Queîs impendentem, venturo auertere seclo,
Pestiferam liceat, queîsque fugare luem.
Perge modò Hippocratis te laus, te fama mane-
bit;
Æternumq́ manet gloria, perge modò.

Albertus Menzelius Philippi F.
Med. D. & Professor
Ingolstadiensis.

HEPTA-

HEPTASTICHON R. P. GREGORII COENOBII SS. VDALRICI ET AFRÆ PRIORIS VIgilantissimi in Remundi Mindereri Physici Augustani librum de Peste, &c.

M*INDERER en Medicâ mortales arte leuauit*
Morbis, vt planè te docet iste liber:
Aureus iste liber, tersus sermone Latino,
Ex quo præsentem postulat æger opem.
Optima nam tradit nobis præcepta medendi,
Quo fugienda modo sit miseranda lues.
Morborum artifici meritas hinc dicite grates,
Nostrâ, qui pestem pellit ab vrbe malam.
Dicite Io pæan modo languidus omnis abesto,
Dicite, nunc morbus pestifer omnis abest,
Desine Doctoris scriptum impugnare Remundi,
Liuor edax verbis inuidiose malis.
Namq; viri famam non reddes stulte minorem,
Rumpantur quamuis ilia crassa tibi.

Aliud.

L*Apsa leuas manibus, monitis volitantia pellis*
Spicula, vipereo quæ lita felle ruunt.

Quin, quâ pestiferæ falcis queat arte retundi
Trux acies calamo secla futura doces.
Quonam fine? scio vivas, vel mortuus ut sis,
Vis per te mortis tela minus feriant.

Iulius Schiller Augustanus.
V. I. D.

IN LIBRI AVCTOREM.

TE dedit Augustæ, vita, Raymunde, patronum,
Te dedit infirmis auxiliumq;. DEVS:
Nuper ut officio vigil, est expertus, adesses,
Horrida dum faceret mœnia nostra lues,
Perdius & pernox variis direptus ab ægris,
Hic quoq; iam munis secla futura libro.
Te bene iuratum vitæ Raymunde, dedisti;
O se iuratam det quoque vita tibi.

Ioannes ab Esch Ecclesiar.
colleg. SS. Mauritii &
Petri Canonicus.

Ἡ βίβλος πρὸς τὸν ἀναγνώστην.

Πῶς ἀποδιδράσεις ἀπό μου διὰ τοὔνομα λοιμοῦ
Τῇ χειρῶντε φυγῇ καὶ, ἀναγνῶστα, ποδῶν.
Τοὔνομα μὴ βλάπτει, λοιμὸν δὲ διδάσκω
ἀπείργειν.
Προστιθέμεντε φιλὰν πλείονα ζωὰν ἔτη.
Καὶ με γραφὼν ὁ πρῶτος ἀνὴρ τοιοῦτος ἄν ἐστιν,
Οὔτι νόσους φεύγων, φευγόμενος δὲ νόσοις.

Εἰ διὰ τὴν χρεῖαν τιμώμενός ἐστιν ἰητὴρ,
Ὥσπερ ἔφη σοφὸς, ἢ γράμματα δῖα λέγει.
Ῥαίμουνδος Μίνδρερ τιμῆς ἔστ' ἄξιος ἀκρᾶς,
Ὃς λοιμὸν χρείᾳ τῇ μεγάλῃ, ἀκέει.

R. P. Carolus Stengelius
Augustanus.

CAR-

CARMEN HEXAMETRUM.

LAVDI ET HONORI MEDICORVM. D. D.

CArpite pœonias, noſtri quibus eſſe patroni
Conſortes licuit : Phœbi quoque vos genus, ite,
Pœonias, panaces panchreſta parate leuandis
Artubus, & ſanis componite vulnera membris,
Et ſeu quæ frigunt, ſeu quæ frigere perurgent,
Nauiter affecto deducite corpore febres.
Vos ego ſemideos quid compellare verebor?
Aſſererem quin eſſe Deos, ſi neſcia veri
Numinis in lucem me ſecula priſca tuliſſent.
Artus enim ſeſe quò mira potentia veſtræ
Non penetrat? veſtro quodnã tempuſúe locuſúe
Subtrahitur iuri? ſãga pax vbi ponit, ab armis
Miles abit, belli princeps ſine milite ceſſat:
Sedat & orantes ferri repetitio linguas,
Clamoſiſq; modum dant arma crepantia roſtris.
Veſtra ſed aſſiduus ſibi temporis vnguina curſus
Vendicat, & nullis labor eſt alienus ab horis,
Atque loco nullo. Spectem ſi ſidera, toto

Iam

Iam nunc ingenio medio vos æthere ferri
Conſpicor, ac ipſis animo concurrere ſtellis:
Inde modum dandæ producendæq́ ſalutis
Scilicet eſt multæ vobis dum dicere curæ.
At probus & nullo maculatus crimine vitam
Fortè vir, & cuius reuerentia plurima Diuis
Sacrato de corde venit, pariterq́ per orbem
Grandis it vtilitas, lecto cum ſternitur æger,
Municipemq́ ſuas Diuûm citat agmẽ ad aulas,
Ille tamẽ terras vt adhuc quoq́ fructibus ornet
Pluribus, inſtatis medii, caſumq́ morari
Quæritis, & mundo charam defendere vitam
Id vobis labor eſt. O vos ego tam pia, dicam,
Regnis cum ſuperis certamina ſumere, quantũ?
Aſt ipſi vos imò Deo ſummoq́ ſenatu
Eſſe iuuat mixtos. non vos docet ille medelas?
Non herbis effecta Dei clementia donat?
Num veſtræ quenq́ dextro niſi Numine, dextræ
In vires veteres, & priſtina robora reddunt?
Numine veſtra manus grauis eſt, & Numine plena,
Plena bono ſummo, ſummiq́ miniſtra Tonantis.
Lumine Tartareũ peragrẽ ſi porrò profundũ,
Inq́ feram cœlo memet contraria, ternas,
Certum quæ texant mortalibus omnibus æuum,
Lanificas illic perhibent habitare ſorores:
Quæq́ per illarum monitus edocta cupreſſum
Præfigat portis. & ducat funera, Mortem:

Et Mortis pdromos numeri sine limite Morbos,
Et mala qui demum sontes post acta sequantur,
Tergaq; dilacerent nullo cum fine, Dolores.
Nuncius at Leti subeat si viscera cuius,
Vos hinc exigitis. iamiam si pollice parcæ
Rumpere fila velint, potior vis vestra tribuni
Munere functa vetat pluresq; remittit in annos.
Mors quoq; tristatas si iam pultauerit ædes,
Sæuaq; de torto iam spicula destinet arcu,
Vestra malū phibet manus interiecta, Deamq;
Funeris auertit vacuam. per Tartara pœnis
Deniq; dispositis iamiam sceleratior vllus
Ingruit, & furuis super impendere caminis
Se gemit: abripitis, mœstam phlegetontis ad algā
Serior vt veleat, vel se quoq; liberet omnem.
Sin animo Cereris considero viscera terras,
Has ipsi colitis, cultu decoratis, & omnes
Omnibus officiis vestro sociatis amori.
Et quid in humanis magis est præstabile vita?
Quid pretii similis? vitæ seruire tuendæ
Dum vobis amor est, vitæ fulcimina nostræ
Vos redamare decet, vitæ tutamina nostræ.
Vos domini rerum, vobis est omnibus vsus,
Vobis sceptriferi sua flectere sceptra dynastæ,
Vos murex audire solet, sacriq; tiaræ.
Quid memorē? vestris sunt deuinctissima curis
Omnia, quæ terris genitrix Natura locauit.
Quæ pariunt, vobis præstant medicamina syluæ.

Quid-

Quidquid ineſt ruri, quidquid iuga ſaxea portant,
Quidquid & hortus alit, quaſquas dat pampinus vuas,
Quidquid & eliciunt campi viridaria florum,
Omnia diuendunt ſe pro medicamine vobis.
Et ſi mellificis celebris tam gloria detur
Virginibus, de flore bonos exugere ſuccos,
Pluſq; ſalutares conuertere mellis in vſus,
Condere quæ vobis præconia digna Camænæ
Sufficient, ſtudium dum non duntaxat habetis·
Optima, quæ paſſim legitis, meliora per artem,
Sed ſummis etiam quæuis vberrima noxis
Ad protelandas habiliſſima reddere noxas?
Et quid naturam, quid tot pernoſcere rerum
Ingenium? ſapiens vos audiat ipſe Salomon,
Obſtupeatq; ſibi tam cognitione propinquos.
Eſt an de nihilo, medicandi Pœonis artem
Quod ſophiæ veteres dictam voluêre ſororem?
An quoq; de nihilo Podalirius atq; Machaon,
Amborumq; parens Epidaurius, huius Apollo
Numinis affecti populis ſunt nomine priſcis?
Vanaq; ſi monear chartis amittere noſtris,
Quæ ſacra, nec ſancto ſubiungimus abſona vero.
Ipſe patris ſummi noſtros auferre dolores
Filius in noſtras non lapſus ab æthere terras?
Inſuper vt terras habuit, non ille ſolebat
Corporibus multas ægris detergere tabes?

HEXAMETRVM.

Caius võs õperæ medicos dum nosco sequentes,
Si minùs esse Deos, tamen esse probauero dios.



CHARITAS NON AGIT
PERPERAM.

CA-



CAPVT I.

AD PESTIS NATVRAM INTELLIGENDAM, PVTREDINIS, VENENI, ET CONTAGIONIS CONDITIONEM ESSE PRÆCOGNOSCENDAM.



Ristissimæ luis, ac immanis illius feræ, diro laniatu in hominum genus crudeliter sæuientis, ac propaginis nostræ germina, numerosa strage immaniter depopulantis historiam, ipsamque adeò tam funesti planeque lethalis ac contagiosi morbi naturam, causas, curationemque descripturus de pu-

tredinis veneniq́ue qualitate, nec non contagii abstrusa, & vsque ad auorum nostrorum memoriam incognita conditione, pauca quædam scitu quàm maximè necessaria prælibare commodum esse duxi, cum vt intellecta negotii totius essentia, perspicua magis fiat rei huius tractatio, tum vt quæ hypothesin aliquam desiderare videntur, firmis solidisq́ue rationibus stabilita, & certæ quasi ac infallibili demonstrationi innixa, maiorem his quæ dicenda sunt, fidem concilient, scriptis insuper nostris plurimum lucis allatura.

Etenim licet ab insigni quadam ac præeminente, vulgatæq́ue putredinis modum longè excedente corruptione pestem dependere omnis in vniuersum Medicorum schola ætasq́ue in hunc ipsum diem vsque visa sit credidisse (quem proindè tam altæ putredinis gradum Hippoc. diuersis in locis putredinis nomine minimè dignatus, & quasi maius aliquid innuens, putrilaginem nominare fuit solitus) nemo tamen veterum contagii vel naturam, vel proprietatem, aut denique latentem qualitatem per quam hoc sanis sese corporibus inferre, ijsq́ue nocere consueuit, conspicuo sermone explicatius pertractare tentauit.

Galenvs certè rerum naturalium explorator

plorator ſcientiſſimus, plus ſatis aliâs in enodandis & explicandis aliis plerisque ad morborum cognitionem curationemq́; ſpectantibus copioſus & Græcorum more eloquens, ne dicam loquax & profuſus, in tot tamq́ue eleganter ac philoſophicè à ſe conſcriptis voluminibus, multa de peſtilentibus popularibusq́; morbis doctè tradens, vix tamen quidquam de contagio protulit, ita vt rariſſimè (niſi forſan contagium tanquam rem claram præſuppoſuerit) imò vix ſemel atque iterum eius obiter viſus ſit meminiſſe, quem quaſi anteſignanum ſubſecuta poſteritas, magiſtri auctoritate confiſa, aut fortaſſis honori eius parcens, ne doctorem ſuum vel redarguiſſe, vel in explicandâ morborum contagioſorum naturâ mancum cenſuiſſe, vel eum denique in ſtadio currentem longo poſt ſe interuallo reliquiſſe videretur, præceptoris limites aliquandiu non eſt prætergreſſa: cum præſertim temeritati potius quam virtuti adſcriptum iri metueret, ſi hæc in arte tam difficili & pręclara ac à Diis oriunda, cui totius generis humani incolumitas ſit concredita, nouum quidpiam & inauditum proferret ac inſolitum, quod altioris intellectus indagine paulò ſubtiliùs elaboratum, popularis philoſophiæ leges aliquantiſper tranſcenderet, ac vulgarem captum nonnihil excedens, ab-

ſtruſum plus magis & reconditum videri poſſet, æquam non ſemper apud omnes fidem habiturum.

Nostris porro temporibus poſtquam addita inuentis acceſsêre, creſcente hominum ingenio, illuſtrium virorum ſolertia cuncta diligentius attendens & examinans huic contemplationi magna ſedulitate in tantum vacauit, quantum mentis noſtrę acies ad cœca hæc & abdita, ac à ſenſibus noſtris magis remota percipienda cognoſcendaq́ue ſeſe vel intendere vel extendere potuit, inter quos inſignes viri Fracaſtorius Ferneliusq́ue quos non ſine magna honoris præfatione nominare licet (vtpotè apud quos non valebat ſine ratione auctoritas) veniunt commendandi. Hi etenim cum primum contagioſorum morborum virus vno è corpore in aliud commigrare, ſanumq́ue corpus ab ægro varimodè & affici, & infici animaduerterunt, cauſam translati ab vno in aliud ſubiectum morbi, non ſimplici alterationi à primis illis elementariis qualitatibus, quas actiuas nominare conſueuimus, profectæ, multoq́; minus ſecundariis illis ac priorum quaſi pediſſequis ac famulatricibus, ſed altiori cuidam conditioni penitusq́ue occultæ, haud immeritò adſcripſerunt, de qua Cap. de Contagio paulò fuſius agemus, ſi prius putredinis veneni-

venenique naturam, quorum primum contagii fomes, alterum verò eiusdem energia ac quasi telum, seu fulmen esse videtur, exposuerimus.

CAPVT II.

De Putredine.

RECTE sanè Aristoteles 4. Meteor. Putredinẽ seu putrefactionem proprii natiuique caloris in vnoquoque humido existentis, ab extranea caliditate corruptionem esse dixit, quæ quidem putredinis definitio ab omnibus quod sciam cum Medicis tum Philosophis recepta, & scitè admodum ab auctore prolata, vt exactius intelligatur, nonnulla videntur esse presupponenda, quibus quasi scipionibus quibusdam tradendorum nixa ratio confirmetur. *Putredinis definitio.*

PRIMVM enim nosse decet aliud esse corruptionem, aliud verò putredinem, tametsi enim putredo omnis, corruptio quædam sit, haud tamen omnis corruptio putredo æstimari poterit, cum quæ comburuntur corrumpantur quidem, putrefiant verò minimè, vt proindè hæc ipsa quilibet corrupta, nemo *Putredo & corruptio quomodo differant.*

tamen sanæ mentis putrefacta esse æstimare vel possit vel debeat.

ANIMADVERTENDVM deindè cum substantiæ duo potissimùm accidant, generatio nimirum & corruptio, putrefactionem vtpotè quæ corruptio cum sit, non alterationem simplicem, sed totius substantiæ permotionem quandam existere, ideoq́ue rem putrefactam non alteratam solum, sed ipsâ substantiâ permotam esse censendam, licet nemo negauerit, eam præuiis qualitatibus ad putredinem concipiendam primitus fuisse prauè dispositam. Et sicut alteratio quædam est à contrariis qualitatibus, sic sanè substantiæ quædam est ac pecularis à contraria quadam substantia corruptio, non ab elementariis aut manifestis vllis qualitatibus, sed ab ipsius substantię intrinseco sibiq́ue ingenito modo ac more proficiscens, quod in artis operibus attendentes, animaduertentesq́ue doctissimi illi viri ac medicinæ quasi nostræ lumina Vallesius, Fernelius, Valleriola & complures alii, contra communem philosophorum sententiam, qua substantiæ nihil contrarium esse tantoperè contendunt, substantiarum antipathias & morbos totius substantiæ asserere & assignare minimè sunt veriti.

Putredinē esse mutationem secundum substantiam.

NOTANDVM tertiò distinctos esse putredinis

tredinis gradus, putredinemque vnam ab altera amplo discrimine variare, adeò vt pro corruptionis vel maioris vel minoris quantitate, qualitate, ac vi, longè hæc aliam faciem induant simili non semper forma contenta. Exemplo sunt vina quæ leui de causa interdum nonnihil debiliora infirmioraque, deindè verò & minus apparent sapida, quo quidem malo vlterius protracto, iucundi quoq; odoris fragrantia priuantur ac amissa gratia lentescere incipiunt nondum substantiâ permutatâ, sed noxiæ qualitatis alicuius aduentu tantummodo alterata, vtpotè quæ motu, ventilatione, vasis mutatione, refrigeratione, aut similibus modis resipiscant. At verò vbi partium omnimoda dissolutione ac contracto situ turbida fætent, vel insigniter acescunt, tum demùm ea substantiâ permotâ permutataque meritò existimabimus, quo tempore priorem ad statum haud redibunt, etenim mutationes eæ quæ secundum substantiam fiunt, vtpotè concoctio, vstio, putredo corruptioque semel factæ infectæ fieri nequeunt, non enim vt quod calefactum est refrigerari, aut quod humectum est siccari potest, sic id quod concoctũ est crudũ rursus & quod computruit emendatum reddi, aut denique quod flammis periit in integrum restitui valet nõ obstante eo quod Gal. 2. Aph. com. 17.

Distinctos esse putredinis gradus.

ait, vina quæ acorem iam induerant interdum priſtinum in ſtatum rediiſſe, id enim non contraria quadam alteratione ſed putridarum ſolummodo partium ſeparatione aut reſectione contigiſſe exiſtimandum. Ex quibus hoc emergit, ea ſolum putrida eſſe dicenda quæ per putredinem corrupta iam ſunt, putreſcere verò ea quæ ad putredinem ſic prauè diſponuntur, atque hoc Galenus innuere viſus eſt cum putredinem motum ſeu viam ad corruptionem eſſe dixit.

Cvm porrò duplex rebus animatis calor inſit, vnus quidem elementaris ſeu influens, inſitus verò alter ac prima ſtatim origine infuſus altero longè nobilior vtpotè qui nutriat, augmentet, vegetet, conſeruet, fulciat, cum prior ille rudioris elementi crudam naturam ſapiens ac redolens, exiccet, inflammet, comburat, deſtruat, corrumpatque, ſciendum per putredinem non hunc iam dictum elementarem adſcititium extraneumque ſed cœleſtem illum primo ortu rei cui ineſt congenerem vitæque ipſius in mixto conſeruatricem perimi ac corrumpi, alterum verò contra hunc putredinis & comitem, & aſſeclam exiſtere. Rectè proindè Ariſtoteles mortem definiens cum calidum innatum ab elementari longè differre & præſtantiore origine natum ac gradu quodam excellente

Quiſnam calor per putredinẽ intereat.

ab hoc

ab hoc remotum intelligeret calori huic naturali seu ingenito, non frigus, sed extinctionem quasi priuationem diceret, visus est opposuisse.

Sed & hoc considerandum sese offert tem quampiam extensiuè nonnunquam, interdum verò intensiuè putrescere, ac primo quidem modo putrescunt ea quorum substantiæ magna ex parte per putredinem corrumpuntur, vtpotè in quibus longè lateque serpente corruptione, putredo in putrescentis subiecti molem quaquauersum extenditur quantitate magis quàm qualitate conspicua. Intensiuè autem res quælibet putrescere tum demùm dici potest, cum putrilaginis qualitas tanto putredinis gradu intenditur, vt communem putredinis modum iam non amplius obseruet simplici corruptione haud contenta, sed adaucta malignitate malum morem induat, humoribus à propria temperatura alienatis, donec tandem veneni naturam adipiscatur, & toxico euadat simile, quo quidem putredinis modo non vllus existit deterior, hic enim vel minimæ molis subiecto insidens, maiore persæpè damno quam prior ille sæuit. Exemplo esse potest historia pueri illius quem Galenus 2. de loc.aff. 9. ob malignam quandam auram è crure in caput ascendentem Epilepsiam pas-

Dupliciter res quaspiam putrescere posse extensiuè nimirum & intensiuè.

ſum commemorat, tum verò Critonis illius Thaſii morbus quem Hippoc. 1. Epid. com. 2. ægroto 9. deſcribit, manifeſtè denotat exigua in quantitate tantam in corpore hominis natam putredinem, quæ eum corruptionis gradum attigerit, vt vel venenum, vel huic euaſerit ſimile. Lubet, hîc ſynceri & grauis viri verba recenſere, vt ipſo auctoris teſtimonio rei magis pateſcat veritas.

Critoni inquit, in Thaſo pedis dolor incepit fortis è digito magno erecto ambulāti, decubuit eâdem die horridus, anxioſus, parum ſubcalefactus, nocte delirauit. Secunda tumor per totum pedem, & circa talum ſubruber, cum tenſione: phlyctenæ parua, nigræ, febris acuta furebat, ab aluo autem ſyncera bilioſa ſubmulta prodierunt, obiit ſecunda die à principio.

Ex hiſtoria hac quam ſingulari ſtudio tanquam miram raramq́ue & notatu digniſſimam diligenter adeò memoriæ mandauit Hippoc. ſolers Medicus facillimè colliget materiam aliquam venenatam mediante putredine in corpore fuiſſe genitam, quam natura onere ac malignitate eius preſſa, prauitatisq́ue noxam excutere ſeſeq́ue leuare volens, in pedis pollicem protruſerit, peſtilentium enim ſymptomatum multitudo, mortisq́ue celeritas, venenoſum in Critone hoc humorem delituiſſe indicant, quod & ipſe

Gale

Galenus, præter mortis celeritatem, phlyćtenas nigras ſecunda die ortas, ſcribit denotaſſe.

Ex his putredinis naturam & conditionem aliqualiter patere arbitror, vtpotè quæ vel ſecundùm ſe toti, vel ſecundùm partes aliquas putreſcentis ſubiecti exiſtat corruptio eaque non ſimplici qualitatum alteratione conſiſtens, ſed quæ putreſcentis materiei ſubſtantiam ipſam depopuletur ac deuaſtet, adeò, vt corruptio hæc non qualitatum tantum permutatio, ſed ſubſtantiæ ipſius à ſua integritate deceſſio, meritò & dici, & haberi debeat, quæ quidem corruptio nonnunquam enormi gradu adeò extenditur, venenum vt procreet, vel quid viribus huic haud abſimile, nam & Galenus libr. 5. & 6. de locis aff. humores noſtri corporis eam nonnunquam corruptione malitiam induere ſcripſit, qualem medicamentis quibuſdam & venenis deleteriis ineſſe animaduertimus.

ATQVE hic quidem extremus & quaſi abſolutus corruptionis gradus, à veteribus Philoſophis haud vnquam exactè definitus, poſteris excellens putredo, deindè verò occulta qualitas, tandem neotericis ſubſtantiæ quidam modus & proprietas rectè fuit appellatus, vtpotè cum ſimplex quæ fuit putredo, vel dierum numero, vel ſitus diuturnitate, vel

te,vel ſubiecti in malignitatem propenſione, vel alia aliqua de cauſa eum terminum aſſequitur,vt communem viam peruagata, conſuetæque putredinis limites transgreſſa, tale quidpiam producat,noſtræ quod ſit ſubſtantiæ,non qualitate vlla manifeſta,ſed intrinſeca ſui natura, atque adeò innato quodam ſibi ſubſtantiæ modo exitiale ac nocuum, licet actiuas huic quoque qualitates prout mixtis omnibus & adeſſe & ineſſe nemo negauerit, quæ tamen id vel omninò non,vel in tali gradu haud efficere aut præſtare valeant, quod occulta hæc ſubſtantiæ proprietas, alteram ſibi contrariam ſubſtantiam certa quadam antipathia à primis vel ſecundis qualitatibus minimè pendente perdens ac deſtruens perficit,vt proindè qui ſubſtantiæ actionem aliquam concedere fuerunt veriti, occultæ idipſum qualitati quam indicibilem (vtpotè à ſe ignoratam) nominarunt, adſcribere fuerint coacti.

Tria ſunt quæ corpus noſtrum proximè conſtituũt, continentia nimirũ contenta & impetũ facientia.

Cvm porrò ſapientiſſimus Hippoc. ea quæ corpus noſtrum proximè conſtituunt triplici ſerie in continentia contenta, & impetum facientia ſolertiſſimè diuiſerit per continentia,venas,arterias, vaſa, viſceraque, per contenta ſanguinem vnà cum cęteris humoribus, ac denique per impetum facientia, ſpiritus hinc indè commeantes deſignans, quo-

quorum inter se diuisionem maioris intelligentiæ causa posteritas luculentiore & paulò magis explicata notione, humorum, spirituum, & corporum solidorum nomine distinxit, necessum fuerit singulari studio animaduertere quodnam ex his tribus putredine sit infectum, cum curatio pro subiecti malè sese habentis diuersitate variet. Vndè postquam maiores nostri confusam ac indigestam pestis notitiam posteris tradidissent, cum hi eam nõ vniformem semper animaduerterent, sed pestem vnam ab alia multoties variare cernerent, rem hanc altius rimati modo spiritus, humores modo, interdum quoq; & solida corpora, nonnunquam verò & hæc simul omnia, vel pro varia combinatione eorum aliqua, pestilenti putredine coinquinari, longa sanè obseruatione didicerunt, quam ob causam eam quæ in humoribus residet pestilentiam. febrem pestilentem putridam, quæ in corporibus solidis sedem fixit, Hecticam, quæ in spiritibus stabulatur, Ephemeram pistilentem nominare consueuerunt, interdum enim humores præcipuè, nonnunquam ipsa cordis substantia solidæq; illius partes, non raro quoq; & spiritus, nulla aut parua in humoribus aut corporib. solidis, vel putredine, vel noxa animaduersa putrere ac diffluere doctissimi quiq; viri obseruarunt, *Triplex febris pestilens, Ephemera, Putrida, & Hectica.*

vndè

vndè cæteris benè ſeſe ac ſecundùm naturam quodammodo habentibus hominem interire neceſſum fiet, vinculo nimirum eo quo anima corpori deuincta coniungitur (quod ſpiritus eſt) diſſoluto.

NEQVE verò mihi quiſquam hìc obiiciat ſpiritus tenui ſubſtantia cõſtantes igneaq́ue natura præditos, & perpetuo quaſi motu agitatos putreſcere non poſſe, cum & naturæ eorum caliditas humidum abſumens excrementitium, & agitatio crebra, commota corpora plurimum diſflans, ac tum etiam ſubſtantiæ eorum tenuitas putredinem nullam admittere videatur, etenim & ratio, & experientia contrarium dudum docuit, nam & Ariſtoteles 4. Meteor. cap. 1. omnia quæ vi non interimuntur per putredinem ad interitum venire, omnia verò præter ignem, imò verò terram, aquam, & aërem vt materias igni ſubſtratas putreſcere poſſe ſcripſit. Et quis eſt, qui non videt ſpiritus non igneæ ſed aëreæ potius naturæ exiſtere, cum ex inſpirato hi aëre gignantur & fiant? prout Galenus lib. de vtilit. Reſpir. & lib. de vſu pulſ. docuit, qui idem ſpiritum aëre craſſiorem eſſe, lib. quod ſanguis in arteriis ſecundùm naturam contineatur dilucidè ſatis monſtrauit.

Spiritus poſſe putreſcere.

Ex quo ſanè patet quod cum craſſior aëre ſit ſpiritus, ideoq́ue minus hoc ipſo igneæ

naturæ

naturæ poſſideat, aër verò cum ex Philoſophorum tum ex Medicorum ſententia putreſcere poſſit, etiam ſpiritus ex hoc genitos, & hoc ipſo craſſiores putredinem ſubire eiq; obnoxios eſſe ſolere.

VERVNTAMEN quæ de his iam modo tradidimus eo in loco in quo ad praxin propius accedentes de peſtis differentiis agemus longè omnibus dilucidiora clarioraque ſunt futura.

CAPVT. III.

De veneno & qualenam venenum Peſtis exiſtat.

PERVETVSTVS ille Heliodorus Athenienſis conſcientiæ loco ſibi ducens quod nonnulla de venenis in publicum emiſiſſet, ac indignum quaſi Medico reputans, vt de venenis is agat quem de ſola hominum ſalute, ac vt benè is omnibus, nemini verò malè faciat, ſollicitum eſſe decet, in hunc ſeſe modum ad Nicomachum, vt momorum ſcurriles cauillationes anteuerteret, purgare voluit.

Mitia per Triccem habitantia numina testor,
Quiq; Deos latè conspergit lumine Phœbum,
Sceptrigerumq; Iouem Saturno rege creatum,
Nec me muneribus quisquam nec viribus vllis
Flexit, amicitiæ vinclumuè abduxit vt ista
Conscius efferrem: at tollens ad sydera palmas,
Immunem sceleris mentem pro pectore seruo.

Attamen cum ad Medicum non ægrorum modo corporum sanum in statum reductio, sed etiam sanorum ea in incolumitate conseruatio spectet, necessarium omnino videtur, vt is non modo quæ hominibus valetudinis damnum aut iacturam aliquam passis profutura sint cognoscat, sed etiam vt eorum quæ his ipsis dum sani sunt quocunq; modo obesse potuerint notitiam probè teneat, vt agnita eorum noxâ & imminens ab his periculum, vetando, abstrahendo, admonendoque præcauere, & si per incuriam tale quid admissum, aut dolo malo clam oblatum vel administratum fuerit, dextrè, scienter, ac artificiosè sciat depellere. Quod considerantes viri illi doctrinâ, ingenio & antiquitate insignes, vtpotè Aratus, Horus Mendesius, Orpheus Theologus cognominatus, Galenus, Dioscorides, Aëtius, Paulus Ægineta, Serapio, Rhases, Halyabbas, Auicēna & consimiles alii, complura non minus pulchra quàm

Auctores qui de venenis scripserunt.

quàm ſcitu apprimè neceſſaria de venenis conſcripta ad poſteros transmiſerunt.

IMPRIMIS autem conſtat venena veteribus modo pharmaca, modo medicamenta, modo toxica appellata fuiſſe, pharmaca quidem, quod voce illa φάρμακον Græci cum venena tum medicamenta comprehendere cõſueuiſſent, qua eadem loquendi conſuetudine ad Latinos poſtmodum translatâ Suetonius Claudium Cæſarem oblato ſibi ab Agrippina boleto medicato (venenato ſcilicet) defeciſſe ſcripſit. Et Hannibal ille Carthaginenſis dux clariſſimus poſt bellum cruentiſſimum per ſedecim annos cum Romanis in Italia geſtum, tandem à Scipione in Africa victus, cum ad regem Antiochum in Aſiam, deindè verò ad Pruſiam Bithyniæ regem cõfugiſſet & ab hoc ſe Romanis traditum iri metueret, venenum quod in annulo concluſum habebat, aſſumpſit, à Varrone verò prout Nonius Marcellus refert, interrogatus cur medicamentum (venenum dicere volebat) bibiſſet, reſpondiſſe fertur, ideò, quia Romanis me tradere volebat Pruſiades. Atq; hæc quidem loquendi forma adeò apud Latinos increuit vt Caius Iuriſconſ. de rer. & verb. ſign. eum qui medicamentum dicit in differentiam bonumné an malum id exiſtimet adiicere debere docuerit.

Venenum & pharmacum olim idem

COMPLVRES cum insolentissimum quoddam venenum Toxicon appellatum apud Barbaros existere cognouissent, deducto ab hoc nomine, venena pleraq; Toxica nuncupare non dubitarunt. De hoc Nicander in Alexipharmacis, sic canit.

Toxicon.

Isto Gerræi Nomades populusq́; ferocem
Qui colit Euphraten armant sua tela veneno,
Quæ postquam hæserunt & nō sanabile vulnus
Inflixêre, caro liuet, virusq́; putrescit
Vipereum, atque cutis se tabo fata resoluit.

TANDEM veneni vox introducta qua noxium quoduis quod in venas eat, & deleteria facultate viuentis vitæ insidiatur, seu quod proprietate aliqua vel manifesta, vel occulta calidum natiuum interimit, designare posteritas consueuit. Conciliator lib. de venenis, venenum substantiam corporis nostri non modo corrumpere, sed etiam simile quid in eodem producere, quale idipsum erat, eaq; ratione cibo prorsus opponi, ac sicut cibus in nostri corporis substantiā transit, ita venenū membra in sibi peculiarem naturam transferre arbitratus est, cuius tamen mentem de contagiosis solum venenis explicamus, cum plurima venena sint nihil suæ substantiæ simile producentia, prout sunt ea quæ erosione necant, noxam interim aliis communica-

Venenum.

municabilem, aut morbidum ac ſui ſimile effluuium haud generantia vel emittentia.

VERVNTAMEN nos rem ipſam conſiderantes id ſanè venenum eſſe cenſebimus, quod qualitate aliqua malefica ac deleteria interficere, aut ſubſtantiam corporis noſtri corrumpere natum eſt, quod quidem nonnulla per actiuas qualitates caloris ſcilicet aut frigoris exceſſu perficiunt, hoc quidem Cicuta, Opium, Mandragora, illo verò Euphorbium & Anacardus, nonnulla ſecundariis qualitatibus in perniciei inſtrumenta adductis latrocinia patrant, vt Mercurius Cryſtalloides ſublimatione in extremum toxici ſolium deuectus, & Arſenicū Realgar dictum, & complura alia erodendi inſigni vi prædita: non pauca verò nullo manifeſtæ qualitatis cuiuſpiam inſtinctu adiuta ſola ſubſtantiæ cōtrarietate & antipathia mortem adferūt violentam, qualitèr Napellum ob illatam perſæpè cladem funeſtum, infami nota damnatum, omnis Medicorum ſchola auerſatione eius indignabunda, licito ſanè contemptu profligauit, & ab omni medicamentoſo poculo penitus proſcripſit.

Veneni definitio.

QVO in cenſu numerandi quoque veniunt fungi & boleri nonnulli Hyoſcyamus Solanum manicum, Rhododaphnes, Aconitum, Tithymalus, Colchicum & complura

alia, quæ quidem tametſi manifeſtis omnia qualitatibus vehementer obſint, ſubſtantiæ tamẽ contrarietate & antipathia præcipuam in ſe veneni vim reconditam poſſident.

Venena propriè dicta.

ATQVE hæc quidem venena propriè dicta eſſe nonnulli autumant, quaſi per excellentiam venena hæc diceres, quibus ab occulta proprietate ſeu intrinſeca ſui natura (quam ſubſtantię modum quendam ſeu proprietatem eſſe admonemus) necis inferendæ facultas inſidet, vtpotè quæ non manifeſtis qualitatibus ſed totius ſubſtantiæ diſſidio vitæ noſtræ primordia demoliuntur, de quibus legendus Galenus 5. de ſimpl. Med. cap. 18. ea non quantitate ſed genere deleteria eſſe dicens, eſtque neceſſariò veneni hæc occulta proprietas, à modo ipſius ſubſtantiæ proficiſcens animaduertenda, cum ab hac nõ modo huius aut illius ſpeciei aut indiuidui, ſed etiam huius vel illius in ipſo indiuiduo exiſtentis membri noxa, ſingulari quadam analogia dependeat, vndè quædam brutis animantibus venena exiſtunt quæ hominibus venena non ſunt, & è contra.

Venena certis ſpeciebus animalium analoga.

SIC ſturnos Cicuta quæ homini venenum eſt lethiferum innoxè veſci tradit Galenus 3. Simpl. & 2. de aliment. fac. Amygdalis amaris vulpeculas enecari nonnulli teſtantur, quæ hominibus medicamentũ exiſtunt.

Sunt

Sunt non pauci ex plebe nucis vomicæ partem magno ſui commodo ſudaturi deuorantes, quæ tamen brutis præſertimque à partu cœcis ſummè eſt exitialis & lethifera experientia rei veritatem confirmante, quod inſignis ille Epicureæ ſcholæ philoſophus Lucretius notans, ſic ait.

Præterea nobis veratrum eſt acre venenum,
At capris adipes & coturnicibus auget:
Quippè videre licèt pingueſcere ſæpè cicutâ
Barbigeras pecudes: homini quæ eſt acre venenum.

Sed & præterea quibuſdam certis in corpore partibus ſingulari proprietate nonnulla aduerſantur, vndè lepus marinus ſolos præ reliquis membris pulmones lædit: Cantharides ſolam præcipuè veſicam exulcerant: Stibium præ cæteris ventriculo bellum indixit, quod quidem ſingulari cuidam & intrinſecæ formæ ac naturæ proprietati peculiariter huic vel illi membro inſidianti abſcribendum eſſe quis non videt? cuius inſtinctu nõ qualitatis vllius manifeſtæ, ſed totius ſubſtantiæ diſſidio membro huic, vel illi contrauenit, ac id propriæ ſubſtantiæ diuortio oppugnat. Analoga ſunt igitur nunc his, nunc illis pleraq; venena corporibus & membris antipathiæ cuiuſdã ſingularis occulto interuentu cuiusvis ſtudioſiſſimè in peſte animaduertenda,

Venena ad certas corporis partes analogiam habentia.

uertenda, vndè quæ in homines pestis sæuit canes aut equos non inficit, & quæ inter boues, oues & bestias nata est infectio, homines haud æquè polluit, licet sues ob similitudinem forsan carnium, & feles ac canes ob nimiam forsan cum hominibus infectis familiaritatē ac assiduam adsistentiam communi hominum peste tentatos esse, sit proditum.

Pestem venenatam esse.

VENENVM porrò omni pesti coniunctum esse vix quenquam dubitasse reor, nec qua ratione id quis vel parum in artis operibus ac Philosophia versatus negare valeat video, cum effectus ipsius morbi, eiusque sæuitia, celeritas, ac inuadendi modus nec non symptomatum lethalium multitudo ac prauitas, imoque & iudicii ipsius seu criseos difficultas ac infidelitas id commonstrent de quibus cap. de Prognost. Pestis, plura fusè satis in medium producentur. Nec refert quod nonnulli obiiciunt humores nostri corporis in venena haud transire, sed per corruptionem veneno quid simile ex iis fieri, id enim quod & qualitate, & agendi modo venenum æmulatur eiusdemque effectus præstat (meo quidem iudicio) venenum haud dubiè dicere licebit, cui etiam antidotis contra venena pugnantibus sit occurrendum, quod ipsum Galenus

Galenus de ſanguine menſtruo, & retento ſemine agens Platonis in Timæo ſententiam ſecutus, lucidè ſatis exemplo canis rabidi videtur explicaſſe, pro qua re intelligenda locus ille ab eodem Galeno 6 de loc. aff. cap. 5. debita obſeruatione diligenter luſtrandus.

VNICVS ille Iulius Alexandrinus vir ſanè grauis & ob inſignem auctoritatem meritò ſuſpiciendus, huic ſeſe opinioni nonnihil oppoſuiſſe viſus eſt, energiā ac facultatem omnem morbi peſtilentis in ſolam putredinis excellentiam coniiciens, quam quidem tametſi ferè ad veneni vſque gradum pertingere poſſe faſſus fuerit, venenum tamen intra nos naſci poſſe negaſſe viſus eſt, cum peſtiferam quidem putredinem Miſy vero aut Sory, aut Aconitum Cantharides vel Arſenicum ex magna illa humorum deprauatione minimè oriri poſſe docuit. *Iul. Alexandrinus peſtem venenū habere negauit.*

ATQVI huius quidem ingenioſam magis quam vtilem diſputationem Mediolanenſis ille Medicus Ioan. Bapt. Syluaticus in compto ac polito illo ſuo de Theriaca libro, multis ac magnis argumentis ſuſtulit, cui tamen & noſtris quoq; rationibus ſatisfaciendum eſſe putauimus. Etenim quamuis Arſenicum Aconitum aut Sory in nobis ipſamet non gignantur, gignuntur tamē alia quædam viribus his planè ſimilia & eadem pernicie,

velocitate, venenositate, nocendiq́ue modo formidabilia, vndè qui peste intereunt non aliter quam exhibito veneno aut à venenatis bestiis icti, demorsi vel percussi perimuntur, cum talia eos symtomata pati cernamus, qualia assumptum venenum aut viperarum vel scorpionum aliorumq́ue animalium venenatorum ictus subsequi consueuerunt, indicatq; hoc præter alia cadauerum eorum qui peste interiêre liuor & Phlictenæ nigræ hoc in morbo crebrius apparentes, per quas Critonis corpus venenum in se continuisse notauit Galenus prout cap. præcedente annotauimus.

Varia esse Venena.

INTELLIGENDVM porrò hoc cumprimis ac summè animaduertendum infinitas propemodum venenorum esse differentias, substantia, qualitate, vi, & agendi modo inter se discrepantes, à subiecti cui hæc insident vel à quibus prodeunt, diuersitate natas, adeò vt tot dari possint debeantq́ue venenorum in indiuiduo positorũ discrimina, quot putrescibilium corporum & hinc natarum corruptionum varietates, ac putredinum pro diuersa subiectorum putredinem subeuntiũ coniunctione, modi vel reperiri, vel esse possunt, nouum proindè adhuc venenũ nec nobis ipsis, nec maioribus nostris vel visum, vel obseruatum oriri, & è rerum natura quotidiè

emerge

emergere vel enaſci poſſe, cum diuerſarum combinationum in mixtis concurſus infiniti propemodum ſint & innumeri. Quod probe intellexiſſe mihi videntur inſignes viri complures qui nouos morbos iam ſępius ortos & adhuc oriri poſſe infallibilibus principiis nixi rectè docuerunt.

ATQVE hanc quidem vnam ex cauſis illis eſſe reor quare curatu difficilis adeò peſtis exiſtat & toties quæ olim prodeſſe ſolebant remedia irrito conatu fruſtrataq; opera adhiberi videantur, peſtis enim vniformem non ſemper veneni ſpeciem ſecum deuehens eandem non ſemper idæam repræſentat, ſed experientia id monſtrante inuadendi perſæpè modo tum & ſymptomatum nunc horum nunc illorum aſſociatione variat, vario perniciei modo à ſe inuicem differens, adeò vt magna nonnunquam ægrorum pars intereat, priuſquam vel veneni tunc graſſantis eſſentia, vel eiuſdem natura, aut à ſenſibus noſtris longius remota ac in obſcuro poſita morbi conditio non niſi obſeruatione & experientia addiſcenda cognoſcendaq; deprehendatur, hoc enim in incognitis, vſu perſæpè venit vt non niſi aliorum damno ſapiamus, & ex complurium ſtrage quos morbus perdidit cæteros ſeruare diſcamus nihil interim laudis Medica facultate ob hoc amitten-

Venenum Peſtis non ſemper idem.

vtpotè quę plus ſtudii in incertis obſeruandis quàm in lucidis iam & perſpectis malis, commodo conſilio amouendis remouendisq́ue ſollicita exiſtit, etenim & magiſtratus ad occultum furem deprehendendum debita adhibens media, non minus ſuo officio functus videbitur, quam ſi hunc ipſum comprehenſum, capite plecti aut morte mulctari præceperit.

MAXIMO proindè errore teneri eos certum eſt vno eodemq́ue modo omnem indiſcriminatim peſtē curare volentes, cum hæc toto ferè, vt aiunt genere, nonnunquam variet & à ſeipſa ſit diuerſa, cui pro propria varietate varia quoque remedia ſint adinuenienda.

INTERDVM enim peſtis manifeſtam ſui ortus cauſam habet, nonnunquam verò & abditam noſtrosq́ue ſenſus latentem, & non niſi diligenti animaduerſione deprehenſibilem, vtpotè quæ noua ſymptomatum perſæpè caterua ſtipata in publicum prodit, ac verſipellis chamæleontis inſtar, alienam ſubindè faciem induens, ipſis quoque primatibus Medicis vel exercitatiſſimis incognitam, cuius tegmine obuelata, proſpero ac ſalutari vtplurimum euentu terminabiles morbos crebro ementitur, quorum foram tenens, atque alienam quodammodo in ſcena perſonam repræ-

repræſentans inſigni fallacia impoſturaq́ue ſupra modum graui ægrorum curam habentes, medicamq́ue manum decumbentibus adhibituros decipiat. Exemplo eſſe poteſt prioribus ſæculis nondum viſus atque adeò peſtifer ſudor ille Anglicus qui cœtus Medicorum illa ætate viuentium, anxietatibus, dubiis, & hallucinationibus adimpleuit, donec tandem quæ morbo illi ſalutaria eſſent vel exitioſa cognouerunt.

Sudor Anglicus.

VENENA igitur varia cum ſint, & pro propria diuerſitate modo hęc, modo illa ſymptomata inuehant, Paracelſi aſſeclæ, nouitatum ſemper ſtudioſi, accuratè ſatis ea ſub ſalium ſibi ſic vocari ſolitorum variis nominibus mihi viſi ſunt comprehendiſſe, varimodè ea ab effectuum diuerſorum prouentu denominantes, varioq́ue quod ſeſe varia occaſione huic vel illi morbo coniungere ſolet veneno, varia ab euentu nomina deducentes, vt cum morbum quempiam nunc cardiacam paſſionem, nunc cutis liuorem, nunc vomitum, nunc corporis inflationem, nunc alia ſymptomata non inuexiſſe modo, ſed & inuehere iam dum ſolitum eſſe, atque adeò vniformem non ſemper exiſtere, ſed pro veneni ſibi coniuncti varietate multiformes effectus edere maiorum memoratione admoniti, ac propria quoque obſeruatione

Venena varia ſunt.

Venena diuerſos effectus edunt.

edocti

edocti didicissent, sal illud seu venenum morbo illi iungi solitum, pro singula quaque sui conditione ac natura considerantes, à symptomatum ab hoc produci solitorum qualitate variis nominibus ac titulis affecerunt, vndè cum Galeni nepotes tantam tamq; immensam venenorum quorumlibet copiam in tres classes redegisse, & eorum aliqua vegetabilium ordini adscripsisse, aliqua inter mineralia numerasse, non pauca denique animantibus & insectis quibusdam accepta retulisse percepissent, à genere ad speciem magis prolapsi tot salium venenatorum seu venenorum nomina in medium adduxerunt, quot eorum species & nocendi modos agnouerant, itaq; diuersorum venenorum ex putredine & hanc subsecuta corruptione intra nos pro varia putredinis dispositione natorum aut aliundè haustorum vel conceptorum aliqua à mineralibus nomine mutuato Arsenicalia, Vitriolata, ferruginea, venerea, gemmea, Ammoniaca, aliqua ab animantibus notionis ratione deducta, Scorpionea, Salamandrina, Dypsadica, Amphisbænalia, Tarantularia, viperina, nonnulla vegetabilium similitudine opiata, Zingiberina, Aronica, Ranuncularia, Aconitica & infinitis propemodum nominum varietatibus indigitarunt, idq; ea prorsus de causa, quod sicut

Venena triplicia esse nempè ab animalibus vegetabilibus aut mineralibus desumpta.

Cantha-

Cantharides cutim adurunt, Aſpis ſoporem inducit, Dryinus cardiacam paſſionem infert, Stellio putredinem gignit inter herbas verò flammula prout & Tithymalus veſicas ſuſcitat, Vrtica extremam inflammat epidermidem, inter mineralia verò Auripigmentum inteſtina erodit, Lithargyron vrinam ſupprimit ac corpus intumeſcere facit, & Ceruſſa ſingultum, tuſſim, & mentis defectionem adfert, ita venena quædam in nobis nata conſimiles effectus præſtent, quæ proindè his Cantharidæa, Aſpidica, Dryinina, Stellionaria, Flammularia, Tithymalica, Vrticalia, Auripigmentica, Lithargyrica & Ceruſſalia ab effectu nuncupabuntur apud quos & plures magisque ſpeciales ſalium ceu venenorum differentias ſuis quasque titulis inſignitas reperire licebit, vtporè venenum Herpeticum, Anthracinum, Carbuncularium, Peſtilentiale, Phagædenicum, Furuncularium, Gangrænatum & alia quædam.

VERVMTAMEN hæc nobis miſſa ſint, vtporè quæ negotium explanandum magis obſcurare quam rei veritatem manifeſtæ luci exponere videntur, quæ tamen non ſine labore huc adduximus, vt quantis ambagibus hac in re ſparſæ Medicorum ſcholæ oberrent cernere cuiuis liceat, quæ tamen pro aliorum (quos ſi non doctrinæ hauriendæ

ſaltem

ſaltem curioſitatis cauſa nos quandoque legere continget) mente ac opinione intelligenda, commoda futura arbitrati ſumus.

Nec tamen ex his quiſquam conuincet, quod cum in corpore noſtro tantam corruptionem naſci poſſe ex veterum & neotericorum doctrina tradiderimus, quæ vel venenum ſit, vel veneni vires æquet, vt hæc magna ſemper humorem inſigni corruptione deprauatorum mole nitatur, etenim prout cap. priori de intenſione putredinis verba facientes admonuimus res quæpiam parua quantitate circumſcripta ingentem venenatæ qualitatis vim & energiam interdum poſſidere poteſt, prout eodem in loco exemplo pueri Epileptici & Critonis Thaſii luculenter demonſtrauimus. Quod intelligens Pelops apud Gal. 6. de loc. aff. dicebat, poſſe pręter naturam ſpontè in corpore eſſentiam quandam generari quæ mole minima ſit, facultate autem quàm maxima, cuius vim Galenus loco iam commemorato Scorpionis & Phalangii ictibus rectè comparat, quibus exiguo veneno per minimum foramen iniecto totum corpus ſæuiſſimis cruciatibus afficitur. Confirmat hoc ipſum Elaterii, Scammoneæ, Colocynthidis, Hellebori & ſimilium pharmacorum purgantium vel minima doſi corpus abſque periculo perturbantium

In paruo ſubiecto magnam veneni vim quandoque contineri.

vis,

vis, nec non & venenum id quod in Africa naſci tradunt vnius grani pondere multos natum interficere.

His conſideratis obſeruatoque variarum peſtilitatum diuerſis locis ac temporibus graſſatarum necandi modo, magiſtra rerum docebit experientia venenum peſtis adeò eſſe & varium, & diuerſum vt ſingulæ propemodum peſti ſua ſit pecularis iuncta malitia inferendæ neci ſufficiens, cuius diſcrimen à nocendi modo & ſymptomatum varietate petendum ſiet. Diligentiſſimè proindè diuerſitas hæc venenoſitatis animaduertenda & peſtis curationem ſuſcepturis obſeruanda. Etenim ſi peſtis graues ſomniculoſitates, ingentes ſopores Lethargos ac Comata inuexerit longè aliter tractari ſeſe poſtulabit quã ſi vigilas, inquietudines aut ingentes cordis ſiccitates intulerit. Venenum enim peſtilentiale modo Dypſadis, modo viperæ, modo Cicutæ, modo Napelli aut alterius exhibiti toxici naturam æmulatur cui in curatione ſingulari diligentia attendendum.

Prout igitur his, per peculiaria ac cuique propria antidota ſuccurrimus ita & peſti modo per hæc, modo per alia alexipharmaca obſiſtendum admonemus.

Et nos quandoque hæc ipſa ſtudioſius conſiderantes peſtẽ ab exhibitis venenis aut anima-

animalium venenatorum ictu, morsu ac percussione immissis vix quidquam differre cognouimus, quod vno atque altero exemplo huc adducto pro iuuando lectoris intellectu confirmare non pigebit.

Colchici Veneni cũ Peste similitudo & affinitas.

AVDIAMVS igitur insignem illum inter Veteres scriptores Nicandrum in Alexipharmacis de Colchici veneno sic disserentem. Si Colchidis Medeæ infensum ignem Ephemerum nimirum potu quis sumpserit ab eo tum labia humectata ineuitabilintus attritu læduntur. *Et paulò post.* grauedo circa stomachum sedet, quem ad vomitum prouocat, deindè lethali vstione radicitus exulceratum reddit, vt perindè per ceruicem fæda eructet egeratué atque turbidum à carnibus liquorem coquus effudit; quin & aluus terrica excrementa per inferna eiicit, &c. Quis quæso ipsissima pestis signa in hac Colchici veneni enumeratione descripta esse nõ videt? quam vomitu, humorum turbatione, fluxu alui colliquante, cardialgia perpetuò ferè, non raro autem & dicta linguæ vredine inflamatione & excoriatione ægros affligere toties cernimus? Sic quæ idem Nicander Dioscorides, Aetius & alii de Cerastis, Phalangii, Scorpionis, Hæmorrhoi & similium virulentarum bestiarum ictibus symptomata numerarunt omnia aut pleranque in peste conspi-

conſpiciuntur, vtpotè cordis angores, ſudores frigidi, tremores, cutis à fuligine contractiones, ſanguinis ſtillicidia, faciei diſtorſiones, labiorum tumores, ſingultus & ſimilia quæ omnia ac his quidem plura adhuc in peſte adinuenire licebit quæ nos ipſi ſępius non ſinè commiſeratione ſpectauimus.

NOBIS autem qualenam venenum Peſtis exiſtat perquirentibus, cum aliqua venena ab occulta ſui natura qua cordi aduerſa ſunt enecent, complura verò humoribus per putredinem in corruptelam abductis aut deprauatis vitam adimant, nonnulla etiam eroſione mortem inferant, peſtilentiale venenum ſola ferè putrefaciendi vi qua & ſpiritus corporis partim ſuffocandò iugulat, partim corrumpendo delet, & humores inſigni deprauatione facta ac inteſtino damno pernicioſos reddit, ac demùm ſolidam quandoque cordis ſubſtantiam deuaſtat, nocere, ideóque Septicum omninò ſeu putrefactorium exiſtere ac ſeptica potiſſimùm vi omnem cladem videtur perficere.

Venenum Peſtis eſſe Septicum ſeu putrefactorium.

SED & ex hoc, peſtilentiale venenum Septicum eſſe colligitur, quod nullum vel vix vllum venenum in rerum natura reperire liceat, contagioſum quod ſit, niſi id ipſum ſimul putridum exiſtat, cuius exhalatio & morbificum ceu venenatum effluuium varimo-

Venenum Peſtis contagioſum non eſſet niſi putridum exiſteret.

dè hauſtum alterius corpus ſubintret illudq́; ſimili labe contaminet, vndè quæ vel extremè refrigerando, vel ſummè calefaciendo, vel erodendo necant, contagioſi effluuii vix quidquã emittunt cum nemo ſeſe Opii, Ceruſſæ, Lithargyrii, Hyoſcyami aut Colchici contactu ea ipſa noxa quam hæc alioquin intus aſſumpta inferunt, læſum eſſe facilè dixerit.

VENENVM igitur Peſtis tametſi innumeris penè modis variet & à ſeipſo ſit diuerſum, ſemper tamen maiore ſui parte Septicum ſeu putrefactorium eſſe non immeritò cenſemus, vtpotè in quo putredo illa excellens & ab hac natum venenum præualeat & prima quaſi ducat agmina, adeoq́ue omnem propemodum peſtilentis veneni vim à ſolâ ferè putredine tanquam ab exuperante cauſa dependere ſentimus, à qua ſeptica illa vis & mixti diſſolutiua proficiſcatur quantumuis excellens ille putredinis gradus, ab antiquis animaduerſus quidem, non autem quiſnam hic eſſet obſeruatus, non ſemper exterioribus ſeu manifeſtis indiciis ſenſui noſtro obuiis deprehendi queat, non enim omnia quæ putreſcunt viſui lurida ac fœda apparent, aut nares tetro fœtore feriunt, etenim fœtor de eſſentia putredinis non eſt, ſed comes quidam corruptionis inſignis haud vnicuiq́ue ſubie-

Venenum Peſtis tametſi variũ ſit ſemper tamen potiſſima ſui parte Septicum ſeu putrefactorium exiſtere.

subiecto putrescibili copulabilis, sed pro huius vel illius materiei putrescentis substantia, dispositione seu conditione oriundus. Ex quibus frustraneo sanè labore magno licet discendi studio inductos nonnullos Medicos pro putredinis ac veneni huius natura indaganda ac intelligenda cadauera quorundam peste mortuorum secuisse constat, qui putrenem aliquam sese oculotenús in corde deprehensuros arbitrabantur, quæ tamen non sui quadam facie, sed mali solum moris pernicie cognoscibilis extiterat, vtpotè non extrinseco nocendi modo, sed intrinseca & occulta malignitate funesta.

Esse autem venenum Pestis maxima sui parte septicum seu putrefactorium nemo sanè facilius ac dilucidius quàm exemplo ob oculos posito intelliget, quo nomine ad rem hanc graphicè depingendam, ac accommodata planè similitudine clarius explicandam opportunè sese offert lapis ille Septicus, quē vulgari minus verò proprio nomine plebs Medicorum lapidem corrosiuum appellare consueuit, quo Chyrurgi cummuniter in parandis emissoriis quæ fonticulos seu fontanellas appellant in corporibus præcipuè delicatis & actuale cauterium candentis ferri vi alioquin inuri solitū non sustinentibus, vtuntur, is enim parti cuipiam corporis imposi- *Lapidis Septici cū Peste comparatio.*

tus extremam primùm epidermidem & hui
deindè subiectam cutim, tandem verò & car
nem sub hac ipsa latentem, nec non huic in
natas fibras atque hinc indè sparsas venula
nullo planè vel eo saltem exiguo & vix per
ceptibili (dummodo ritè paratus is sit) dolo
ris sensu adeò mortificat & inducta putredi
ne eo vsque necat, vt eæ, quas tetigerit parte
breui horarum spatio omni penitùs sens
priuatæ, ac omni prorsus vitali munere desti
tutæ conspiciantur donec hæ liuentes a
omninò putrefactæ luridi putaminis insta
(cum sanum in statum nullo planè artificio
reduci queant) à sanis quibus nullo ampliu
vitæ vinculo cohærent & nullo nutritioni
beneficio gaudent, segregentur & excidant
aut in tabum resolutæ relicto cauo vlcere de
cedant ac diffluant.

EODEM ferè modo pestis sese corpori-
bus nostris insinuare solet, vtpotè quę subdo-
lo & vix sensibili principio cordis penetralia
clanculum subintrans intestinas paulatim pa-
rat insidias adeò vt iugulatis nōnunquam spi-
ritibus ac maligna putredine peremptis, nul-
la ferè doloris perceptione sed sola virium
vitalium consternatione homo derepentè
corruat, quod in Ephemera pestilente sæpius
contigisse fuit animaduersum. Et sanè insi-
gnis illa putredo pesti coniuncta quam pau-
lò an-

ò antè externis non semper notis deprehensibilem esse insinuauimus, vt plurimum tamen manifesta ingentis suæ prauitatis indicia exhibet. Vndè vrinæ & alui deiectionum nec non sudoris præter modum graueolentiam, anhelitus fœtorem, phlyctenas, pustulas tetras & atras, cæruleum corporis aut liuidum colorem, fœdissima vlcera, tanta putrilagine & puris copia referta, non nisi putridum venenum designare clarè cernimus, quod circa finem libri in Anthracis, Carbunculi & Bubonis pestilentis tractatione plus magis fiet manifestum.

Et sicut lapis iste Septicus causticam & adurentem quandam imò & corrosoriam vim possidet, eam tamen non tantam quę putrefaciendi vim huic præ reliquis insitam superet, sic in peste quoque vniuersam pestilentis veneni vim quantumuis alias quoque malignas qualitates sibi iunctas habeat socias, in venenatæ putredinis nocumentum & damnositatem tanquam in vincentis causæ energiam potissimùm coniiciendam, huicq; præ reliquis noxam omnem acceptam esse referendam arbitramur. Verum hæc omnia per ea, quæ posthac dicenda sunt fusiùs dilucidiusq́ue explicata patebunt.

CAPVT. IIII.

De Contagione.

LABORIOSA valdè & nunquam non in peruestigandis rerum naturis operosa, imò verò difficillimarum scientiarum ac artium cum adinueniendarum, tum excolendarum studio prægnans, & in tentandis arduis quibuslibet negotiis occupata semper antiquitas, postquam crudeles quasdam clades quibus hominum genus sæuiente pestilentia grauiter quondam afflictũ fuerat, studiosè admodum descripsisset, ac pro posterûm memoria literis mandasset. tum verò & medicamenta complura tristi huic malo pellendo accommoda tradidisset, contagium tamen eiusq́ue naturam penitus præteriit, & alto planè silentio suppressit, cuius conditionem cum ob nocendi celeritatem, vim, & potentiam insignem, tum etiam ob pollutionis modum, quo hoc ipsum sana corpora inuadere ac simili sibi noxa & inficere solet meritò luculenter explicare declarareq́ue decuisset.

Antiquitatem vix quidquam de Cotagio scripsisse.

ET quidem admirationem non leuem parit quod (vel omissa pestilenti contagione) cum lepram, pthisim, scabiem & alios complures

plures morbos aliis consimili affectu minimè detentis, sed firma & integra corporis valetudine gaudentibus communicabiles esse haud dubiè agnouerint, in contagii tamen huius natura & conditione tradenda, nihil vel parum visi sint præstitisse, sed tanquam aliud quid agentes suo quisq; tramite præteriens, id quod maximè dicendum erat, subicuerit.

INTERIM tamen primæua illa ætas cuius studio ac diligentiæ plurimum meritò debemus, vel inscitiæ, vel segnitiei, vel denique inuidiæ minimè videtur accusanda, quod iam dicti contagii vim & abditam penitùs naturam ac conditionem non explicuerit.

ETENIM licet nec Hippoc. nec sexcentis qui post hunc annis vixit Galenus prout nec Auicenna qui tamen pestis naturam diligentissimè prosecutus est, vllibi ex professo de contagione egerint, tamen id eis vitio vertendum minimè putamus, cum vna ætas omnis doctrinæ ferax non sit, & hi magis in probis ac fidis remediis quibus posteritas gaudere posset adinueniendis, quam in subtilibus his & reconditis enodandis laborauerint, confusam contagii notitiam ad curationem sibi sufficere putantes, etiamsi altius in eius cognitionem non penetrarent, aut artem alioquin longã his disquisitionibus prolixiorem redderent, quamuis etiam fieri potuit,

Veterum de Contagione scripta temporũ forsan iniuria periisse.

tuit, vt hi exactè de contagione ſcripſerint, quorum labor & ſtudium temporum iniuria interierit.

SIMPLICI hac ac paulò rudiore contagii notitia poſteritas minimè contenta, cum contagium altioris cuiuſdam conditionis eſſe deprehenderet, naturam eius magis magiſque rimari cœpit & huius modo ad hoc, modo ad illud ſubiectum analogiam attendens, quibuſnam viribus id quod præſtiterat actitaſſet, multa indagine perquiſiuit. At verò cum tot in ſcholis qualitatum effectus, tot combinationum modos, tot temperamentorum mixtis quibuslibet inſidentium facultates, contagii naturam adhuc non penitus explicare cernerent, tamdiu occultis id qualitatibus adſcripſit donec actionum à ſubſtantiæ peculiaritate prodeuntium conditiones eſſent adinuentæ.

VERVNTAMEN nos iam propiùs ad rem ipſam accedentes primò an, & quid ſit contagio, tum verò quotuplex ea ſit, & vndè ortum ducat, ac quibus vel modis, vel ſeminibus propagetur, tandem verò de certa quadam huius ad hoc vel illud ſubiectum analogia Dei beneficio ac benignitate adiuti nonnulla ad cognitionem & curationem peſtis addiſcendam pertinentia ſumus traditur.

INPRIMIS igitur inter eos morbos quibus

bus corpus humanum affici consueuit, nonnullos contagiosos esse ipsa luce meridiana clarior experientia commonstrat, quotus enim quisque est qui non fœda scabie, aut tristi & plus quam molesta cutis prurigine deturpatos abhorreat? eorumque conuersationem multoq; magis cohabitationem & contactum auersetur? Vndè in veteri testamento vel ipsius sacri numinis iussu, leprosi à sanorum consortio protinus arcebantur, ne qui bona essent corporis valetudine præditi, morbida cõtagione polluti, de statu integritatis suæ decederent deficerentque, quod quidem negotium Moyses Leuitici cap.13. ad longum integrè descripsit. *Morbos nonnullos cõtagiosos esse.*

Et verò quis non videt quantas persæpè clades disseminata per contagium pestis non vrbibus modò ac Rebuspubl. sed & integris regnis ac nationibus attulerit? Nec obstat quod Gregorius Nissenus summus alioquin Philosophus nec Medicinæ ignarus in expositione dicti illius à domino Saluatore nostro prolati, *quod vni ex minimis, &c.* in medium adducit, morbum nullum contagiosum esse asserens ideò quod sanitas quæ morbo opponitur, non sit contagiosa, cum tamen contrariorum eadem & par ratio esse soleat. Etenim vir hic insignis & nostra commendatione longè maior, Oratorem tunc a- *Pestis contagiosa.*

gens, apparenter ſolum & problematicè hanc viſus eſt quæſtionem in medium adduxiſſe, quam antè ipſum Ariſtoteles Prob. 4. Sect. 7. hac ratione diſſoluerat, quod ſanitas quies quædam eſſet, morbus verò motio.

Cur ſanitas non ſit contagioſa.

QVÆ quidem Ariſtotelis reſponſio tametſi ſolida ſatis ſit & ſufficiens, haud tamen dilucida & pro communi captu ſatis videtur explicata. Medicis proindè terminis vtpotè notioribus ſic rei veritatem commodè aſſequemur, ſi habitudines quæ ſecundum naturam ſunt, non afficere, è contra verò, res quæ contra vel præter hanc ſunt omnino afficere perpenderimus, vndè conuincitur, vt cum ſanitas ſtatus quidam ſit & habilitas naturæ amica, proindè nec afficere, nec, quia non afficit, contagioſæ eſſe queat, morbos autem cum ſit affectus præter naturam eamque neceſſariò alteret & inquietatam (quod innuere voluit Ariſtoteles) afficiat, idcircò inficere quoque ſit aptus.

DEINDE verò ex ratione contrariorum non ſequitur, morbus eſt contagioſus, ergò & ſanitas contagioſa exiſtet, etenim ſi contrariorum contrariæ ſunt conſequentiæ, ſi morbus contagioſus eſt, ſanitas nullo modo contagioſa eſſe debet. Veruntamen quidnam ſit contagium nunc videndum.

Contactu à conta-

CONTAGIVM à contactu dictum eſſe

inter

inter omnes conuenit, eò quod affectus ſit tacito quodam conſenſu aut contactu pluribus communicabilis, quem conſimilem ab vno in aliud deductam perniciem meritò nominare licebit ſic aptè à neotericis definitam. *cta dictũ.*

CONTAGIVM eſt deterrima halitus qualitas ex maiori materiæ elaboratione orta diuerſimodè afficere apta, aut hoc modo.

Contagiũ eſt compoſiti ſeu corporis mixti corruptio quædam, ſimilis ei, à quo dimanauit, quæ infectione in particulis communicata, ex vno in aliud tranſeat. Vel vt Fracaſtorii definitione vtamur. *Contagii definitio.*

Contagio eſt conſimilis quædam mixti ſecundùm ſubſtantiam corruptio de vno in aliud tranſiens, infectione in particulis inſenſibilibus primò facta.

CORRVPTIONEM hanc circa ſubſtantiam magis quàm accidentia contingere vel hoc declarat, quod cum qui calefactus aut frigefactus ab altero fuerit, eum non contagione infectum, ſed circa qualitates tantummodo ſubſtantia integra permanente alteratum dicere ſoleamus. Deindè verò & hoc diſcrimen negotio huic ineſt, quod ſimplicia corpora æquè ac mixta alterari à contrario quidem valeant, non item à contagione pollui, quæ enim ſimplicia ſunt ob ſubſtantiæ purita- *Contagiũ non alterare tantum ſed ipſam corporis ſubſtantiã corrumpere.*

puritatem & ſimplicitatem corrumpentti-bus cauſis potenter obnituntur ac reſiſtunt, cum è contra mixta ob partium diuerſitatem ac diſſimilitudinem contagioni plus magis ſint obnoxia.

Hoc autẽ difficultate nõ caret quomodo cum contagionem corruptionem eſſe quandam dixerimus, eandẽ ab aliis corruptionibus diſtinguere velimus, etenim & domus incendio flagrans ac vicini tecta adurens cõflagratione ac rapaciũ flãmarum ſubminiſtratione, contagione hanc polluiſſe nõ immeritò dici-poterit? Et qui alterius corpus enſe ſecuerit, ictu vel quodã lethali perforauerit, ſeu haſta perfoderit, contagioſus illi fuiſſe cenſebitur? Cui quidem obiectioni tacitè nos ſatisfeciſſe arbitramur, cũ corruptionẽ latius quàm putredinem patere ſupra demonſtraremus, Ariſtotelis diſtinctionem ſimul etiam in memoriam reuocantes corpora quælibet aut putredine, aut violentia interire exiſtimantis, hinc fit vt cum incendio aliiſque modis interire quidem corpora cernamus, corrumpi quidem ea, haud tamen per putredinem, ſed violenta quadam internecione perimi concedere debeamus.

Non omnẽ corruptionem eſſe contagiũ.

Iam verò quæcunque contagioni corruptio vel inſidet, vel adhæreſcit, ea vel à putre dine ortũ duxit, vel hanc ipſam ſibi adiun-

xit co

xit comitem, nec obstat quod de rabidi canis morsu obiiciunt, videri nimirum hunc ipsum & rabiem huic succedentem contagiosam absque putredine etenim necessitas non exigit vt canis rabie infectus totus putredine simul sit affectus, dummodo pars aliqua nempe saliua, aut huic quid simile quod in demorsi vulnus canis eructat, insigni & virulenta putredine corruptum existat.

Corruptio quam Cõtagio infert, à putredine est oriunda.

Et verò canes omnes rabidos, cum furia insigni agitantur excitanturque quis non febrire & proindè putredinem aliquam intrinsecam necessariò sentire debere non intelligit? cum præsertim putrefactiones eæ quæ in viuo animali fiunt plurimum latere ac sensibus minus esse soleant manifestæ.

Canis rabidus.

Maiorem difficultatem habet hoc, cur febribus ardentibus putridisque nec non & morbis aliis in quibus putridum quotidie effluuium gignitur idque copiosum, contagio tamen nulla insit, quanquam hi sæuitia symptomatum, mortis celeritate, iudicii acumine, ac morbi ipsius vehementia contagiosos morbos nonnullos longè superent, vtpotè qui vt plurimum lenes sunt ac lenti, & proindè sæpius diuturni; quis enim scabiem quæ contagiosa est, colico dolore non videt esse mitiorem? Quis Phtisin quam Causonidem mitiori longeque magis prolixo tramite suũ

Cur febres pleraque ac morbi alij in quibus putridum effluuium gignitur non sint contagiosi.

ad sta-

tum peruenire non concedit? Quis luem venereã Peripneumonia negat esse tutiorem? Quis deniq́ue lippitudinem æquè ac pleuritidem ac Ileum seu conuoluulum lethalem esse affirmare audebit? Restat igitur vt in quonam hæc contagiosæ infectionis energia consistat ostendamus explicemusq́ue, cum, vt iam dictum est, longè maius aliis in morbis compluribus putridum effluuium obseruare liceat quam in contagiosis, adeò, vt non omnẽ putridam expirationem aut effluuium contagiosum esse sensu ipso hoc docente manifestum & experientia id monstrante certum sit & plus quam luculentum.

Duplex putredo. DVPLICEM igitur putredinem esse scire conuenit, vnam quidem simplicem in qua sola fit mixti dissolutio, calido innato pereunte, nihil interim nouæ generationis hanc subsequente, vel ex hac ipsa resultante. Alia porrò præter hanc est putrefactio, in qua non solùm mixtum corrumpitur ac interit, sed nouum interim quidpiã generatur, quomodo vermes, pulices, culicesq́ue & insecta complura per putredinem gigni obseruamus.

NVNC igitur licet in morbis omnibus, vel plerisq́ue saltem à putredine natis, vel hanc ipsam sibi annexam habentibus, putridum semper effluuium modo minus gignatur,

tur;eorum tamen nonnulli contagiosi tantum sunt, reliqui verò tametsi his magis lethales & periculosi, à contagio immunes, haud enim omnem putrefactionem contagio sequitur,quanquam larga ea sit, & multo humore profusa, sed eam solùm in qua talia seminaria generantur,quæ & forti mixtione temperata & in lentore quodam sunt constituta,adeò vt postquam ægro è corpore emanarunt,haud facilè pereant,vel debilitata eorum ab externis causis virtute confestim hebetescant, sed partium quadam firmitudine freta diu perdurent perseuerentq́ue & lentore suo corporibus quibus adueniunt, facilius tenaciusq́ue adhæreant, quæ postea hoc suo adhæsu contaminent & inficiant. Quo igitur in morbo tale seminarium generabitur, quod & putridum sit & fortis mixtionis ac lentoris cuiusdam particeps, contagiosus is sanè morbus & erit, & haberi omninò poterit ac debebit,

Non omne effluuium contagiosum esse, sed lentum tantummodo & fortem mixturam habens.

Ex his omninò constat contagionem affectum quendam esse præter naturam, vtpotè contrarii ratione id corpus quod sua infectione tangit corrumpentem, qualisnam autem affectus is sit nondum satis perspicuum,

IGITVR cum tres in vniuersum affectus qui præter naturam sint, à Medicis numeren-

Contagium sitnè mor-

bus, causa, an symptoma. merentur, morbus nimirum, causa & symptoma, disquirendum nunc cuiusnam ex his tribus rationem contagium subeat.

HANC porrò quæstionem diluunt Hyeron. Mercurialis Medicinæ decus, & præclarus ille Cæsareus Medicus ob insignem doctrinam meritò commendandus Nicolaus Boccangelinus, contagium nec morbum, nec symptoma, sed morbi causam esse asserentes, vtpotè in quo halitus quidam teter, noxiusué vapor, aut spiritus aliquis virulentia vel malignitate præditus, aut aliud aliquod contagiosæ luis seminarium ab ægro sanum in corpus influat, illudque suo aduentu & participatione contaminet. Cum autem tribus modis hæc in aliud subiectum mali propagatio serpere soleat, contactu nempè ipso, aut fomitis susceptione, vel denique seminarii alicuius maligni pestilentisque ac contagiosi transmissione, tres etiam contagionum differentias hinc exurgere necesse est, quarum vna simplicissima & natura cæteris prior existit quæ solo contactu afficit, alia hæc longè deterior vtpotè quæ non contactu solùm contaminet, sed & infectionis fomitem in subiectis quibusdam eundem fomitem retinere, & ad tempus fouere aptis relinquat ac denique tertia quæ quasi propioribus his non contenta etiam ad distans

Contagiũ esse causam.

Triplex Contagiũ.

conta-

contagionem & pollutionis inquinamenta transferat transfundatq́ue.

Ac primi quidem generis contagionem ſuſcipiunt corpora putrida ac putreſcentia ſe mutuo tangentia (dummodo analoga his fuerit putredo de qua analogia paulò poſt plura ac explicatiora tradituri ſumus) vt videre eſt in pomis, pyris, Cydoniis ac ſimilibus, vno enim pomo infecto ac per putredinem labefactato, inficitur & alterum ſibi contiguum, ea cumprimis parte, qua vitioſum illud attigerat, ſic & cum pruriginoſo cubans ac dormiens, vel concaleſcens, & ipſe prurigine inficitur, calore putredinali & contagioſa qualitate prædito ſani, hominis calori per quem hic vitiatur vnito, aut contagionis ſeminariis, euaporatione, affrictu vel ſudore, per poros ſanum in corpus transfuſis ac diductis.

Contagiũ ab immediato contactu proficiſcens.

Qvæ verò fomite afficere conſueuerunt tametſi cum iis quæ contactu ſolo lædunt cõmune principiũ cõmunemq́; inficiendi modum obtineant, longè tamen altiorẽ malitiei gradũ ſunt cõſecuta, in his enim fortis & lenta partium contagione communicabilium fit mixtio, quæ in illis debilis & nõ lenta, ac proindè diſcuſſu facilis nec adhæſui vt hæc apta exiſtit. Itaque particulis hæc ſeſe minimis ſeu corpuſculis quibuſdam exilibus viſumq́; effugien-

Contagiũ ex fomite.

fugientibus ſubiectis fomitem ſuſcipere diſpoſitis, clam infert in iiſque longo dierum numero interdum deliteſcit, nō aliter quam odor qui pannis, veſtibus aliiſque rebus arte conciliatus multo nonnunquam tempore perſeuerat, vndè peſte affectorum lectulos interulas ac tegumenta & id genus alia imò etiam tabulata ac hypocauſta pthiſicorum in quibus diutius habitarunt, ob ſuſceptum fomitem contagioſa perſæpè fuiſſe maiores noſtri annotarunt, imò tale virus per duos tresué annos ſeruatum teſtatur Fracaſtorius, duo enim illa, quæ iam modo commemorauimus, ſubtilitas nimirum & fortitudo ſeu cōſtantia mixtionis, efficiunt vt contagii ſeminaria non modo facilius penetrent, & foraminibus ſeu poris quam minimis condantur, ſed etiam vt longo non ratò tempore aduerſus multa durare queant.

Quænam res fomiti ſuſcipiendo aut fouendo apta exiſtant.

VERVNTAMEN hoc iam notandum occurrit, nō omnes res fomiti ſuſcipiendo & fouendo aptas exiſtere, ſed eas tantum quæ raræ, laxæ, poroſæ, foraminulentæ, aut minus compactæ ſunt, ac aliqualiter calidæ, vel non impensè frigidæ, vndè lapides, metalla & id genus alia ob ſoliditatem frigiditatemque quam habent partium, fomitem non ſuſcipiunt, at verò rariora, vtpotè lana, panni, linteamina, lecti, ſtragulæ, veſtes, quin & ligna

pleraque

pleraque vtpotè porosa, fomitis iam dicti ſedes fiunt quam facillimè, in his enim longo tempore contagium quandoque ſopitur ac deliteſcit, donec forſan aliquis re taliter infecta vti volens, eam proprio calore & contactu calefecerit, & contagium ibidem hærens, quaſi frigore aut algore languidum, & ignauum, denuo ſuſcitarit, quomodo & medicamenta à calore noſtro de potentia in actum deduci obſeruamus.

SED & ipſi quoque homines peſtis fomitem circumferre ac propagare viſi ſunt, vndè Euagrius lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 28. contigiſſe ſcribit, vt ſæpè ſani homines ex infectis regionibus in liberas abeuntes, eaſdem peſte infecerint, eò quod venenum peſtiferum in ipſis ceu in fomite delituerit. Nec mirum, poſſe venenoſum ac morbidum quidpiam tã diu in corpore occultari? cum Galenus & Auicenna venenum canis rabidi morſu illatum per ſex menſes, imò per annum latere nonnunquam poſſe tradat, quod ipſum Albertus Magnus per duodecim & Alharabius Arabs per quadraginta annos clàm in corporibus delituiſſe teſtantur. Contagium hoc ex fomite diligenter Moyſes in Leuitico animaduertit, ibidem enim & ipſi parietes deſquammari ac nouâ calcis cruſtâ obduci præcipiebantur.

Contagiũ ad distans. RESTAT nunc vt de tertia contagionum differentia agamus, quam ad distans fieri diximus, euenit autem ea cum contagiosorum corporum & vaporum ab eis prodeuntium vis aëri permiscetur, in quo & iteratur & fouetur, vt partium continuitate ad distantissimas nationes ferri ac transire queat, quod in vasta illa pestilentia accidit, quæ ex Asia in Europam translata multa hominum millia trucidauit, qualem etiam describit Lucretius,

Finibus in Cecropis funestos reddidit agros,
Vastauitq; vias, exhausit ciuibus vrbem.
Nam penitus veniens Ægypti finibus orcus
Aëra permensus multum camposq; natantes
Incubuit tandem populo Pandionis.

HVIVS generis etiam est ea lippitudinis species, qua qui laborat, alios quoque in se spectantes solet inficere, vndè versus.

Cum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi.

Contagiũ analogiã habet. HOC autem & rarum, & mirum contagio possidet quod quantumuis magnas in nocendo vires obtineat, non tamen omnes, sed eos tantummodo queat lædere, quibus analoga hæc est, & quibuscum similitudine quadam speciali ac singulari sympathia conuenit, sic in brutis animantibus obseruatum fuit pestes irrepsisse quæ vel solos boues, vel solas

oues,

oues, vel ſues ſolas iugularit, vndè Virgilius, *Quàm multæ pecudum peſtes, nec ſingula morbi Corpora corripiunt.*

INTER homines porrò conſimilis ſæpè notata varietas, adeò vt contagium modo hos ſolùm tetigerit, modo illos tantum, ſic Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 4. Hiſt. Romanar. peſtem quandam fuiſſe ſcribit, quæ ſolum in virgines & prægnantes ſæuierit, & Io. Baptiſt Boterus lib. 3. Relat. vniuerſ. de mundo nouo, magnam enarrat peſtilentiam, quæ ſolum iuniores perſonas ſit adorta, & paucos qui trigeſimum annum exceſſerunt, læſerit, atque inſuper nullum in Canopa natum tetigerit. Eiuſmodi peſtis graſſata quoq; eſt tempore Gentilis Medici, in qua vt ipſe refert, nō mulieres ſed viri ſolùm robuſti infecti fuêre. Rei huius cauſam varii variam reddunt, veruntamen clariorem magis ac veritati conſonam expreſſiſſe videtur Hippoc. lib. de flatib. non eadem omni animantium generi commoda & incommoda eſſe, ac proindè corpus à corpore, naturam à natura, nutrimentum à nutrimento differre dicens, vndè euenit vt conuenientia illa & diſconuenientia inquinamentorum, diuerſitatem pariat coinquinationis, non enim contaminabitur, niſi qui vel naturæ, vel humorum vel alterius alicuius conſimilis diſpoſitionis ſimilitudine, ad con-

Cur contagium nō omnes pariter afficiat.

ſimilem noxam ſuſcipiendam fuerit habilis, cum præſertim ſimilia facilè iungantur, & coëant, ac in habentibus ſymbolum facilis ſit tranſitus. Et hæc cauſa eſt cur in ea peſte, de qua Euagrius & Nicephorus Calliſtus mentionē faciunt, aliqui facillima de cauſa fuerint infecti, alii verò qui cum ægris verſabantur, ac degebant, ipſosque contrectabant, quin imò his ipſis concumbere, ac mori & interire optabant, immunes tamen euaſerint, nullo morbi vel contagionis inſultu tentati.

Est igitur contagionibus inſita quædam analogia, per quam modo his, modo illis ſunt familiares, ſic peſtis quædam eſt arboribus aut ſatis, nulli animalium nocua, alia è contra animalia tangens, ſatis parcit & arboribus, hæc canes iugulat, illa boues, alia homines & inter hos vt diximus, alia iuniores tantummodo, alia mulieres, alia viros, imò etiam certis in corpore membris contagiones certæ ſunt & analogæ, ſic pthiſis oculis quamuis delicatioribus parcens, pulmones ſolum aggreditur, lippitudo verò ſolis nocet oculis, prout Achores & Alopecia capiti.

Referenda autem hæc ſunt vel ad materiæ, vel ad applicationis rationē, propter hæc enim non omnia in omnia, ſed certa in certa tantū agūt proprias analogias eorumq; modos ac naturas obſeruantia, de quibus ele-

gantet

ganter disputat doctissimus ac solertissimus Hieronymus Fracastorius lib. de sympathia & Antipathia pro maiori rei huius intelligentia meritò ac studiosè legendus.

CAPVT V.

In quonam Pestis essentia consistat.

ATQVE hæc malorum tot tamque grauium congeries in hac pestilentiæ cathedra consedit, ex qua funesta persæpè rabie perorauit.

NON igitur quispiam miretur nos in putredinis, veneni, & contagionis natura ac cõditione explicanda diutius hæsisse, quæ enim fusiùs à nobis prolata, discussa ac ventilata fuêre, omnia ad status ac essentiæ pestilentis pleniorem intelligentiam tradita esse quilibet agnoscet. Iam verò ampla sese planaque via post erutas vepres sentesque tam intricatas per ea quæ prælibauimus euulsas, ad naturam ac conditionem pestis rectè ac per caussam (& vt loquuntur à priori) cognoscendam patefacit, etenim putredo tanquam omnis mali exordium, ac primum iam dictæ luis rudimentum, qua ratione quibusué de caussis eo vsq; increscere & accrescere possit, vt iam

non ſimplex putredo, ſed inſignis humorum, ſpirituum, aut corporum ſolidorum ſecundùm ſubſtantiam corruptio dici mereatur, tum verò quomodo corruptio hæc tam inſolens, venenum, vel quid aliud viribus huic non abſimile & gignat, & generet, capite de putredine lucide ſatis ob oculos poſuimus. Deindè quoque & venenum hoc inter ſeptica ſeu putrefacientia venena ratione quadam propriæ originis reponendum eſſe monſtrauimus, neque hoc ſolum, ſed & vltra eius conditionis id eſſe docuimus vt effluuii ab hoc prodeuntis vi ac malignitate contagioſum euaſerit. Sunt hæc itaque non diuisìm ſed coniunctìm accipienda hoc planè modo, vt peſtilens venenum ſit vel intra, vel extra nos ab inſigni & alta putredine ac corruptione genitum, ipſumque adhuc putrefaciendo agat & necet, ac inſuper putridum progeneret effluuium cuius contagione alii polluantur.

Putredinẽ venenum & contagionem nõ diuiſim ſed coniunctim in Peſte eſſe accipienda.

Hæc ſi quis rectè ac candidè conſiderauerit diſſenſiones illas Medicorum hac de re facilè componet, & quanam de cauſa in diuerſas ſententias abierint manifeſtè cernet.

Notvm ſanè eſt ipſis Medicinæ tyronibus inſignes quoſdam viros omnem peſtis vim in veneno cõſtituiſſe, alios cunctam huius energiam ac poteſtatem, in putredine collocâſſe,

locasse, sciant igitur velim, vtrosq; rectè sensisse si modo hac ratione eorum concilientur opiniones. In peste nunquam agit solum venenum absque putredine, nam à putredine venenum pestis suam duxit originem, & putrefaciendo vel corrumpendo necat, vt iam suprà monuimus, putrefactio verò in peste non necaret vel non tam repentè, vel nō tantum inferret necis periculum, si simplex esset & non venenata, simplicem porrò iam non esse sed maiore corruptione venenatam euasisse demonstrauimus vbi de putredinis gradibus locuti, venenum intra nos nasci posse ex veterum decretis ac obseruatione dictaremus.

QVID igitur? Restat hoc, vt qui in putredine pestis efficaciam ponunt, venenatam agnoscant eam esse putredinem, qui verò venenum potiores partes obtinere contendunt, ex putredine id natum, imò septicum & putrefaciens esse, ac insigniter putrefaciendo seu corrumpendo necare fateantur. Nunquā igitur in peste datur venenum absque putredine, nec putredo pestilens absque veneno vnquam reperietur, si enim non venenata foret, non vtique pestem, sed febrem aliquam putridam salubriorem inferret, vtpotè Causonidem, Tertianam aut Synochum putridam vel consilem aliam.

Pestis essentiam in veneno ex putredine nato, quod putridi effluuij ratione contagiosum sit, esse cōstituendam.

SVNT itaque hæc omnia, Putredo nimirum, Venenum, & Contagium coniunctìm, non diuisìm accipienda, quoniam in vnam hæc omnia simul semelque conspirant perniciem, ex quibus esse quoddam resultat pestilens, quod non modo putridum, sed & venenatum, nec solum putridum & venenatum, sed & contagiosum quoque existit.

VERVNTAMEN ista prout & alia omnia de quibus fusè supra disputauimus tum demum fient dilucidiora, cum ad practicam pestis tractationem accesserimus, proinde his prius prout oportebat, præsuppositis veram pestis definitionem iam iam sumus indagaturi.

CAPVT VI.

Quid sit Pestis.

EX his quæ pro negotii huius necessitate ac exigentia paulò prolixius meritò pertractauimus, facilè est Pestis definitionem elidere, in qua tradenda multi huc vsque tantoporè laborarunt. Vt enim de putredine deque veneno, & contagione, inter eos non conuentum fuit, sic in varias sectas diducti, descriptionibus magis quàm definitioni-

tionibus, genere & differentia constantibus plerique vti maluerunt, hanc forsan ob causam, ne rem tam arduam tamque difficilem, tot tricis implicatam, neglecto aliorum iudicio, arbitratu suo proprio planam facere voluisse, aut non audita prius virorum grauium sententia, suis quasi ingenii viribus freti, de reliquis censuram fecisse, ac pro sua auctoritate certi quidpiam statuisse videantur, cui apud posteros perspicua tum demûm ac luculenta demonstratione fides sit comparanda. Vndè partìm infinitis propemodum dubiorum ambagibus inuoluti, partìm laborum hinc expectandorum multitudine ac tædio perterriti, nullus quod sciam nostrum ferè ad vsque seculum, hanc glaciem primùm scindere attentauit, quomodo Aboali Medicos in Pestis esse hæsitare rectè fassus fuit, quorum tamen titubantiam posteritatis studium ac obseruatio tandem sustulit.

QVOD si igitur Veteres quidnam Pestis sit percuncteris, hanc ipsam communiter vti ex Gal. com. ad sent. 20. Sect. 3. Epid. 3. patet, *febrem perniciosam dixêre cuius calor præ aliis habeat vt sit insigniter putridus*, quorum sententiam secutus non vilis doctrinæ Medicus Petrus de Tausignano aërem tanquam causam communem pestem fouentem, aut seminaria eius putrida hinc indè deferentem *Varia Pestis definitiones.*

priori

priori definitioni ſuperadijciens, ait, *Peſtilentia eſt putrefactio quæ aduenit aëri, ſimilis putredini aquæ, quæ balneat putridum*, cui quidem opinioni ac ſententiæ fauiſſe videtur Philo ille Iudæus peſtem *aëris mortem* appellans, quam Marſilius Ficinus *cum aëreo corpore draconem* nominare fuit ſolitus.

NEOTERICI, cum definitiones iſtas & alias eiuſmodi ab auctoribus diuerſis magno numero traditas, naturam Peſtis non explicare, ſed vel cauſam eius communem, vel effectus ſolum, aut accidentia eius oſtendere, eſſentiam verò rei non exprimere cernerent, nudis his deſcriptionibus haud contenti, peſtem modo cõmunis, modo contagioſi, modo lethalis affectus & acuti nomine, ab aliis diſtinxerunt, inter quos celebris ille Iulius Palmarius Conſtantinus lib. de Peſt. feb. omnium mihi proximè ſcopum tetigiſſe viſus eſt, peſtem ſic definiens λοιμὸς ſeu λοιμώδης πυρετὸς *Græcis, Peſtilentia ſeu Peſtis, Latinis, febris eſt peracuta, contagioſa, venenata, populariter graſſans, multos perimens, bubone, & carbunculo, aut exanthematis comitata.*

HANC igitur doctiſſimi viri ſententiam non abſque ratione ſecutus, cum præcipua & maximè communis circa opiniones errandi anſa ſit rei de qua agitur ignoratio, meam quoque Peſtis definitionem tanquam prio-

ris

ris huius quoddam germen, ſurculis quibuſdam paulò prouectioribus conueſtitam, ſubnectere placuit, quæ curationis ſubſequentis regula ac lima quædam ſit futura. Peſtem igitur collecto à priſcis & modernis Medicis voto ſic definiendam eſſe arbitror.

PESTIS EST LVES VENENATA, *ſummeq́ lethalis, & contagioſa, cor primariò afficiens, febre, bubone, Anthrace, aut exanthematis vt plurimum comitata.*

Vera Peſtis definitio.

HANC ſi Peſtis definitionem exactius conſideremus, nihil in ea quantum quidem reor mancum, nihil ſuperfluum obſeruabimus.

ETENIM ſi ſingula ſtudioſè perpendamus, videbimus vocabulum *Lues* poſitum eſſe loco generis, dicitur enim lues omnis affectio, plurimos affligens & in permultos ſimul ſæuiens, vndè innoteſcit Peſtem morbum eſſe Epidemium & communem, & ex cummuni vel communicabili cauſa natum, vtpotè ex quo plurimi ſimul ſemelque decumbant vel decumbere poſſint.

HIERONYMVS Mercurialis Medicinæ noſtræ decus, neſcio qua occaſione aut perſuaſione commotus, peſtem veram extare poſſe nō crediderit, niſi plurimi ſimul ægrotent ac maior eorum pars intereat, niſi fortè hanc ipſam à poſteriori ſeu euentu conſiderauerit,

rauerit, aut actum magis quam potentiam respexerit. Nobis enim extrinsecum naturæ pestis esse, nec eius essentiam constituere videtur hoc, quod plurimi ægrotent & magna eorum pars pereat, sicut enim ignis esse non in multorum lignorum aut palearum combustione, sed in calore insigni situm est, sic nec pestis essentia in multorum læsione, sed in pernicie putredinis venenatæ ac contagiosæ collocanda constituendaque.

Pestis essentia in putredine venenata & contagiosa consistit.

QVOD si iam plures ea periclitari contingat, accidens id erit, pesti extrinsecus adueniens, eritque pestis nihilominus morbus communis & Epidemius potestate, licet actu non semper talis deprehendatur, obstaculis quibusdam externis, aut subiectorum ad eam suscipiendam dispositorum absentia restrictus, & à furoris proprii excursu præpeditus, atque id quidem vt patet per accidens, vtpotè id quod non semper facit, semper tamen facere potis & aptus, ideoque aptitudine & natura sua popularis seu communis semper, quod ipsum Nicolaus Boccangelinus & Eustachius Rudius lib. 3. de hum. corp. affect. cap. 3. pulcherrimè declarauit. Vndè agens tametsi voto suo frustretur, id tamen nihilominus intendit quod agere natum est.

Pestē esse Venenatam.

VENENATA. Venenatam esse pestem cap. de putredine & cap. de veneno docuimus,

euimus, ſigna morbi venenati ex Galeni commento in hiſtoriam Critonis Thaſii adducentes, quod quidem multis argumentis planum facere neceſſe eſſe non exiſtimo, cum vix quiſquam ſit qui venenum peſtē omnem comitari non intelligat, morbi ſæuitia, celeritate, criſeos infidelitate, iudicii difficultate, ſymptomatum vehementia, grauitate, ac malo more, id ratum facientibus. Venenum autem hoc peſti coniunctum, Septicum ſeu putrefactorium, imò ex putredine & hanc ſubſecuta corruptione natum eſſe, eo in loco, vbi de veneno Peſtis egimus abundè à nobis declaratum eſt, quod ipſum etiam exemplo lapidis Septici confirmauimus, vt iam non neceſſe ſit, putredini peculiarem in definitione locum aſſignare, cum hæc ipſa, veneni à ſe dependentis nomine comprehenſa videatur.

VENENATVM hoc quidquid in peſte eſt, eam ab aliis morbis acutis imò & à malignis ſecernit, ab acutis quidē, quod hi cum veneno nihil participent, niſi peſtem ſibi adſciuerint ſociam, & quod tametſi periculum vitæ ſemper minentur, ſpem tamen ſalutis non adeò vt Peſtis, adimant. A malignis verò quod licet hi contagioſi quoque interdum ſint, & clandeſtinis inſidiis inſperatam nonnunquam mortem inferant, dum blanda fa-

Per venenoſitatem Peſtis ab aliis morbis acutis, & lethalibus diſcernitur.

cie do-

cie dolos & luctus obtegunt, ac ficta fronte fraudes mentiuntur, donec ab insperato sæuiora inferant accidentia, quam pro ratione propriæ essentiæ affectui conueniant, hi tamen & facilius peste curentur, nec tam præcipitem mortem inferant, nec tanta insolentia spiritus vitales disperdant, vtpotè quod ad veneni gradum nondum deuenerint, quem vbi sunt consecutæ non iam amplius malignæ vocari, sed in pestilentes degenerasse dici merentur.

SVMMEQVE LETHALIS. Pestem tanquam dirum draconem omnibus insidiari, & si quem prehenderit protinus in præsens mortis periculum præcipitare non sine planctu plurimi didicêre.

Pestem esse summè mortiferam.

ETENIM vt auctor est Thucydides lib. 2. Athenis hæc quondam ita sæuiit, vt vix quisquam repertus fuerit quē non vel mors, vel morbus, vel calamitas ac amicorum defunctorum luctus tetigerit, fuit autem ea quę incidit anno 2. belli Peloponesiaci cuius Lucretius lib. 6. de natura & Manilius in fine libri primi, quin & ipse etiam Galenus lib. de Theriaca ad Pisonem meminêre.

SIMILIS lues euenit Constantinopoli tempore Iustiniani Imperatoris prout Nicephorus & Euagrius Eccles. hist. cap. 28. & Procopius lib. 2. de bello Persico referunt, quo

etiam in loco ſub Leone Iſauro trecenta hominum millia hoc morbo, prout Volaterranus & Egnatius habent, ſunt interempta. Sub Benedicto octauo plures peſte interiiſſe ſcribit Platina, quam ſuperſtites in viuis remanſerint, & Iacobus de partibus Anno à Virginis partu 1345. dimidiam hominum partem peſte per quinquenniũ durante enecatam teſtatur. Anno Dominicæ incarnationis. 1382. furens quædam peſtis Auenionæ primûm cœpit, quæ poſtmodum inuadens Allobrogas, Italiam, Germaniam, Britanniam, Græciam, Hiſpaniam, Celtiberiam & Galliam vniuerſas orientis ac occidentis regiones eſt peruagata. *Peſtes aliquot memorabiles.*

TALES conſtitutiones peſtilentes ſub Marco Antonio ſæuiiſſe hiſtoriæ memorant, & ſub Veſpaſiano & Commodo Imperatoribus duo hominum millia Romæ quotidie abrepta fuiſſe apud Dionem Nicæum & Xiphilinum legimus. Quod ſi ad noſtra hæc propius tempora acceſſeris, quantas perſæpè clades hac ipſa in vrbe peſtis non ſemel ediderit, aui noſtri non ſine magna commiſeratione recitabunt. Ex quibus patet, quod ſi is morbus omnium maximè lethalis & exitioſus ſit habendus qui plurimos interficit & enecat, peſtem omnium & pernicioſiſſimã & maximè mortiferam eſſe cenſendam, adeò vt

eos qui hac correpti emergunt, ab ipsis diræ mortis vinculis præter ferè spem ereptos, tãtum periculum; cui persæpè viribus par non est remedium, euasisse fateri cogamur, nam

Emergunt rari nantes in gurgite vasto.

Pestem esse contagiosam.

ET CONTAGIOSA. Insignis ille ac magnæ auctoritatis Philosophus Basilius Magnus Homel. super psalmum primum Dauidis, ab omnibus tam Philosophis quam Medicis hoc singulariter pesti tributum esse ait, vt contagiosa sit, ac vno infecto polluatur & alter, adeò vt vel Aristotelis in probl. testimonio, vna pestis inter alios morbos contagiosos hanc quasi per excellentiam mali moris prærogatiuam obtinuisse videatur, vt insigniter contagiosa existat, idque adhuc eò magis, quò seminaria ipsius magis sunt aut aërea, aut subtilia, cum lentore nonnihil quãdoque sepulta vis eius iaceat, & non nisi crassioribus humoribus tunc sit analoga.

Obiectio ex Procopio petita diluitur.

NEC obstat quod Procopius loco supra citato pestem illam Constantinopolitanam ingentem, contagiosam non fuisse scribit, etenim hoc ipsum Græcus eius codex non habet, ideoque Latinus forsan mendosè, tum verò possibile est contagii vim vel tunc illibi ignoratam, vel non obseruatam, vel spretam omninò fuisse ac neglectam, ægrosque infectionis causam non in contagii virulentiam,

sed

ſed in aliam quandam energiam retuliſſe, ac occaſionibus aliis quibuſuis adſcripſiſſe, quomodo in Germaniæ & Bohemiæ locis nonnullis ſpreta contagii malignitate non paucos abſque terrore ac faſtidio eos qui hoc morbo detinentur inuiſere, cum iisque colloqui & familiariter omninò cum illis agere cernimus. Et ſanè prout cap. de contagio pręmonuimus, Veteres de contagione obſcurè valdè, & vix quidquam, ac idipſum inſuper, debiliter, titubanter ac parcè ſcripſerunt, vt proindè mirum non ſit, ſi ignorato contagio, peſtis iam dicta haud communicabilis fuerit exiſtimata. Ac dato hoc, quod contagium in aliis peſtilentibus conſtitutionibus obſeruatum huic peſti Conſtantinopolitanæ defuiſſe Procopius arbitratus fuerit, fieri tamen potuit, vt hæc forſan minus quam cæteræ cōtagioſa extiterit, & ſic reſpectu aliarum & per comparationem erga reliquas non contagioſa dici meruerit, quod tamen contagium à peſte non tollit vel ſeparat, cum præſertim magis & minus ſpeciem nō mutare doceant Philoſophi, excepto hoc, quod vulgus & qui ex infima plebe ſunt homines, euentu id monſtrante, & ſuo nōnunquam damno edocti, contagium non modo agnoſcant, ſed idipſum cautè declinent, ac omnibus modis ſeſe ab eius telis ac inſidiis tutos reddere conentur,

Vulgus Peſtem ſuo damno cōtagioſam eſſe didicit.

nentur, cum idipſum quod certis vt plurimum ſpeciebus indiuiduis ac naturis eſt analogum, nõnunquam eo vſque (licet rarius) exorbitet, vt vel ipſas inuadat pecudes & bruta animalia, quomodo Thucydides, volucres & quadrupedia, ex contactu in peſte mortuorum periiſſe tradidit, & Bocatius in Decamerone de Florentina peſte refert quisquilias & reiectamenta pauperculi cuiuſdã peſte emortui, in publicam plateam eiecta, ac à porcis qui fortè fortunâ tunc duo aderant, dentibus lacerata, ac bifidis vngulis diſcerpta diuulſaq; fuiſſe, vndè hauſto quod eo in fomite delituerat veneno, vterque intra horæ ſpatium non aliter quam ſi toxicum hauſiſſet, interierit, vt ſic ambo ſupra pãnos quos dilaniârant, non aliter quam ſyderati conciderint emortui.

Peſtem hominũ præter ferè morẽ bruta infeciſſe.

SED & Paracelſus acumen virulentæ huius contagionis ſingulariter notans, menſtruatas mulieres ſolo quandoque aſpectu in peſte ſanos lædere poſſe cautè admonuit.

COR PRIMARIO AFFICIENS. Peſtis definitioni maioris lucis cauſa clauſulam hanc inſerere meritò libuit, vt principaliter hoc morbo affectæ partis miſeria innoteſcat, vtpotè à qua præcipui curationis ſcopi ſint petendi.

ET ſanè cor in peſte primò ac principaliter

liter affici nemini dubium esse debet, cum id subitaneus vitalis facultatis lapsus, viriumq́; debilitas, ac præceps languor, quin & ipsius mentis consternatio, à spirituum vitalium oppressione, qui à veneno pessundantur, ac deleteria illius vi iugulati obeunt, dependens, luculentissimum reddat, & nullo conatu aut argumentorum copia declarandum aut ostendendum. Animalis facultas in Peste ad finem vsq; persæpè consistit integra. Naturalis quoque interdum non vsque adeò labefactata percipitur, titubat autem semper spiritibus clam ac insensibiliter ferè nonnunquam peremptis virtus vitalis. Et licet Lethargos, phrenitides, deliria, vomitus, Diarrhæas, & alia id generis symptomata, quæ nō cordis, sed animalium ac naturaliū partium sunt propria, peste correptos crebrius diuexare ac molestè fatigare non sim nescius, ea tamen posterius eueniunt, cerebro, iecore, ventriculo & similibus partibus à corde (quod regis in corpore munus tenet) malè affecto, noxium in consensum tractis, & in vnam eandemq́ue perniciem conspirantibus.

Pestis est morbus cordis.

In Peste virtus vitalis semper languet.

FEBRE. Hìc noua forsan sese mihi opponet Medicorum cohors, pestem citra febrem consistere posse putantium, vtpotè in qua caloris præternaturalis notæ, sese non

De febre inter Medicos non conuenit.

ſemper prodant, & febrilis incendii argumenta perſæpè nec pulſus nec vrinarum ſignificatione fiant manifeſta.

Et verò cum multos mori contingat antequam febrire deprehendantur, quo modo fieri queat forſan interrogabunt, vt tantæ perniciei comes febris, adeò ſit vel exilis, vel lenta, vt ſenſui haud quaquam interdum innoteſcat?

His ſeſe facili negotio aſſociabunt hi, qui inter peſtem & febrem peſtilentem diſcrimen fecerunt, aliud hanc, & à peſte diuerſum morbi genus eſſe exiſtimantes. Veruntamen peſtem ego nullam putauerim, quæ non febrem habeat comitem, qualis autem ea ſit, paulò poſt diſquirendum.

Aliqui neminem ſine febre mori arbitrantur.

Igitvr quoad primum, egregiè partes meas tuebuntur hi, qui neminem abſque febre mori credunt, etenim aliqui Medicorum annotarunt, neminem fato ſuo, niſi febre interueniente occidere, quorum ſententiam Gabriel Ayala Medicus & Poëta ſic carmine expreſſit.

Fama vetus ſine febre vllum concedere fatis
Quantumuis æger ſit ſine peſte negat.

Qvod quidem eò cenſendum erit verius, quò magis morbi erunt vel celeres, ſeu acuti & peſtilentes, vel quò magis cordi tanquam vitalis facultatis origini ac ſedi propinquiores

quiores extiterint. Verum propugnent hi suam sententiam, cui ego nec subscribo, nec ex integro adstipulor, quam si tutati fuerint, nulla in hoc loco contra me erit actio.

At verò nos ipsam rei veritatem, ex origine, motu, more, & accidentibus morbi sic inuestigabimus, ne temerè quidpiam statuisse videamur, etenim si pestis ortum consideremus, patet eam à putredine oriundam, quæ cum semper calorem omnium quod sciam Medicorum & Philosophorum decreto presupponat, necessariò præternaturalis ille calor iam dictæ putredini iunctus, ac humores, spiritus & sanguinem peruadens, hæc ipsa naturalis caloris limites transgredi, & plus quam par est incalescere faciet, qui deindè calor, putredine hac, & ea quidem virulenta indutus, meo quidem iudicio non nisi febrilis est censendus. *Febrē Pesti coniunctam esse, varimodò probatur.*

Nec refert quod hic obiici potest, in peste magna est putredo, ergò magnus quoque sit calor necesse est: hoc enim falsum esse deprehenditur ex hoc, quod ad putredinem generandam vel fouendam non quiuis calor aptus existat, sed solum humidus, cuius acrimonia & vigor madore quodam vdo sit obtusus, vndè squalidus calor & vehemens adurit, non putrefacit, intensio igitur putredinis & febris ab hac procedentis, non caloris, *Magna putredo non semper magnū calorem infert.*

ſed malignitatis intenſione eſt metienda, quo fit, vt cum in peſte exilis quandoque æſtus & paruum incendium, imò calor à naturali parum mutatus, nullam aut paruam ſubeſſe febrem pollicentur, magna tamen hæc ſit malignæ putredinis vi & energiâ.

Ex motu Peſti febrē coniunctā eſſe probatur.

Ex motu peſti febrem eſſe affinem & ſociam ſic patet, quod plurimi & magna eorum pars qui peſte corripiuntur, prima ſtatim inuaſione horrorem ſentiant, quē poſtea nunc citius nunc verò tardius calor excipit, non aliter quam in tertianis aut putridis febribus aliis fieri aſſolet, quæ tamen febrilis inuaſio mali propagatione poſtmodum nullis ſtatis interſtitiis aut intercapedinibus diſtincta cōtinuatur. Et dato quod peſte correpti prima ſtatim vice non febricitent, progrediente tamen morbo, ſymptomatum vi, hoc eſt vigiliarum, inediæ, dolorum, inquietudinum, & ſimilium accidentium inſultibus, in febres neceſſariò præcipitantur.

QVOD ſi his Anthraces aut Carbunculi innati fuerint? iam ſine febre non erunt, cum hi nunquam abſque febre (quod ſciam) erumpant, ſin verò bubones? cum hi rarius reſoluantur, aut ſudoribus diſſipentur, ideoque ad ſuppurationem abeant, puris in his generatio febrem inuehet, materiâ præſertim in bubone contentâ malignâ omninò ac venena-

venenatâ existente, nam & Hippoc. dum pus fit dolores ac febres generari & inualescere scripsit. Vndè vt cum Poëta loquar

—— *hæc rapida est vix sine febre lues.*

INVASIONIS igitur modus, symptomatum vis ac vehementia, affectus, magnitudo ac malignitas, quin & motus morbi celeritas, & accidentium conditio, imò verò & ipsius quoque partis affectæ nobilitas ac præstantia, luem hanc febre haud carere declarant, exceptis aliis signis (vtpotè linguæ ariditate, oris siccitate, oculorum inflammatione ac rubore, anhelitus acredine & feruore, ac aliis id genus) hoc ipsum demonstrantibus. Vndè & ipsi Veteres Medici ijque famosiores, inter quos ipsemet Galenus, febrem in pestis definitione omittere planè noluerunt, quam peritiores quoq; nostri sæculi pragmatici, assiduam pestis comitem esse obseruarunt, vtpotè quæ eam vel præcedat vel citatis passibus protinus subsequatur.

HANC igitur febrem quam Pesti coniunctam esse diximus, qui probè nosse voluerit, Lipyrę vocatę febris, & Chersydri serpentis naturam & conditionem vt intelligat necesse est. Constat autem non Galeni modo & Actuarii sed & aliorum quoque Medicorum vnanimi quasi voto, Lipyram à pituitâ præsertim verò vitreâ, summam corporis

Lipyra febris & Chersidrus Pestis naturam aliqualiter explicant.

carnem occupante, & bile amarâ circa viscera accensâ originem trahere, vndè satis magnus horror inuadat, cui tamen euidens ad tactum calor non succedat, quoniam frigidus succus summæ cuti innatans, ad putredinem concipiendam non sit vsque adeò dispositus, imò à bilis intus feruefactæ fuliginibus ac fumis tam citò calefieri & excandescere nequeat, sed calorem in profundo conceptum seséque in corporis habitum expandere conantem reprimat, repellat, & poros ac meatus constipans, fumositatum acrium & calidarum ad cutim exclusionem præpediat, ipsumque internum æstum plus magis concentret. Vndè contrarias causas pugnantibus qualitatibus preditas, bile nimirum flaua, aut putri alio aliquo humore (siuè syncerus is sit siue mixtus) in meditullio corporis in corruptionem tracto ac inflammato, & crassa pituitâ aut alio aliquo crudiore aut frigidiore succo summam carnē occupante pro diuersitate situs quem occuparunt, interna insigni ac vehemēti calore exurere, externa verò frigoris horrore concutere posse facilè coniecturandum.

Febris pestilens Lypyræ instar

SIMILI planè modo febris illa primitùs latitans, quæ pesti sese perpetuam fecit sociam, Lipyræ instar vt plurimum primis præsertim diebus foris mitis est, intus verò latenter ar-

ter ardens & conturbans, in qua calor clancularius abstrusa & abdita corporis penetralia incolat, parumq́ue versetur in propatulo, sed vt ex Thucydide Gal. annotauit, intima solum torreat viscera, extremis leuiter subcalefactis, donec vel ipsa per se prodeat, vel sudorificis medicamentis prolecta, è profundo corpore in eius sese pandat ambitũ, quem vbi percalefecerit, intus iam minus molesta minusq; anxiosa esse solet, magna putridarũ, acrium, fœdarum & feruidarum fuliginum (insignem cordi compressionem vndè angor oriri solet inferentium) parte in corpus hinc indè disiectâ ac distributâ, ad quod Hippoc. lib. 4. de rat. victus in morb. acutis allusisse visus est, cum febres consimiles anxiosas esse dixit.

intus ardet, extra mitis esse videtur.

FEBREM hanc pestilentem aut pestis comitem, vel huic non absimilem aliam neruosè, solidè, breuiter & satis luculenter iam dictus Hippoc. lib. 2. de morbis his verbis descripsisse videtur.

ALIA FEBRIS. Foris ad contactum febris debilis est, intrinsecus autem ardet, & lingua ipsius aspera est, & per nares, & per os spirat calidum. Quinta die præcordia dura sunt, & dolor inest, & color qualis in morbo regio apparet, & crassam ac biliosam vrinã reiicit. Hunc si septima die rigor & febris vehemens apprehẽderit

derit & exudârit benè est, sin minus moritur septima aut nona. Corripit autẽ maximè hic morbus si non annus squalidus fuerit. Hæc Hippoc.

VIDES hìc omnem pestilentis febris Idæam graphicè depictam, etenim extrinsecus paucum calorem deprehendi primo statim loco innuit Hipp. qui aliâs, has febres tenues ad tactum dicere solebat, quem secutus Galenus 9 de simpl. med. fac. in extremo capite de terræ generibus, in febribus pestiferis teporem quendam blandum nec mordacem percipi scripsit, quem quidem non simpliciter sed comparatiuè ac aliarum exurentium febrium respectu talem est opinatus, in pestiferis enim febribus, vapores ab insigni & graui putredine emanãtes pinguiusculi cum sint, febrilis caloris ac incendii acredinem obtundunt, quem quidem teporem notans Lucretius sic accuratè febris huius naturam strictis metris expressit.

Flagrabant intus flammâ vt fornacibus ignis,
Nec nimio cuiquam possis ardore tueri
Corporis in summo summam feruescere partẽ,
Sed potius tepidum manibus proponere tactum.

INTRINSECVM porro ardorem & incendium quod huic febri adesse scribit Hipp. non minus studiosè & agnouisse & obseruasse mihi visus est Ouidius 7. Metamorph. sic eleganter scribens.

Viscera

Viscera torrentur primò flammisq; fatiscunt,
Indicium rubor est & ductus anhelitus igni,
Aspera lingua tumet, tepidisq; arentia ventis
Ora patent, auraq; graues captantur hiatu.

PRÆCORDIORVM duritiem quoque ac dolorē quàm singulariter notauerit Hippoc. videto? cum is de quo paulò antè mentionem fecimus angor, hæc ipsa insigni defatigatione exerceat, ac putridi insuper flatus & vapores vel fuliginum quarumcunq; malignarum collectiones ibidem cumulatæ, & vnum quodammodo in aceruum congestæ, ingentes pectori & præcordiis molestias inferant, præterquàm quod Hippoc. cardialgiam & oris ventriculi morsum aut torturam, huic morbo ferè communem, sub præcordiorum dolore visus est comprehendisse. *Quid per præcordiorum duritiē ac dolorem intelligat Hippoc.*

SALVTIS quoque indicium posuisse vides Hippoc. febrem septima die vehementer apprehendentem, vbi eam quæ iam antè intus plus magis vehemens extiterat, ad tactum quoque manifestam euadere, ac ad corporis superficiem ascendere optat, sub qua cor quasi deuicto hoste triumphans, dissipatis veneni ac malignæ putredinis noxis, has ipsas ad cutis ambitum protruserit, & exudatione vacuarit, vndè sudoris emanationem remedii ac auxilii loco ponit, quæ in peste

semper

ſemper eſt expetenda, vtpotè quâ neglectâ vt plurimum mors conſequatur.

Auſtrina anni conſtitutio Peſtilentium morborum effectrix.

ATQVI vt febris huius cauſam & occaſionem procatarcticam ſcias, coronidis loco adiicere voluit, febris hoc genus, anno non ſqualido, hoc eſt ſub Auſtrina & pluuia ſeu humida anni conſtitutione vt plurimum affligere, vtpotè quod hæc peſtilentium morborum potiſſimum ferax ſit, ipſiusque peſtis effectrix perſæpè exiſtat, prout Cap. de cauſis peſtilentiæ ſumus tradituri.

NON iam igitur video quomodo peſtem abſque febre exiſtere poſſe quiſpiam putare queat? cum Veteres, ipſumque Galenum, febrem ab Hippocrate ſic accuratè delineatam, in peſtis definitione meritò poſuiſſe, eiuſque naturam per febrem explicaſſe videat? quam etiam non priſci ſolum & moderni Medici, ſed & ipſi quoque Hiſtorici ac Poëtæ eidem adeſſe teſtantur. Itaque niſi quis vulgi (res ſolùm ſenſibus expoſitas perpendentis, ac quæ antè pedes ſunt conſiderantis) more, in hanc ſtolidam ſententiam abire voluerit, vt peſtem abſque febre exiſtere poſſe ſibi imaginari, ac ſententiæ ſomnio haud abſimili adhærere magis, quam firmis rationibus fidem habere eligat. Interim tamen fateor, febrem hanc pro putredinis aut difflationis conditione, copiâ, aut incremento,

Vulgus Peſtilentem febrem tactui non ſemper manifeſtam, quãdoq; negligit.

modo

modo maiorem, modo minorem exiſtere, quam in nonnullis Synochum, Tertianam continuam, & febrem quamcunque ardentem, incendio, ac calore æquaſſe, nō ego tantum, ſed & Collegæ mei honorandi domini Doctores huius vrbis Medici clariſſimi, ægris in publico Noſocomio decumbentibus operam præſtantes obſaruarunt, quibus extremè quandoque refrigerantibus remediis auxiliandum fuiſſe recordamur, quantumuis nobis ipſis cum Hippoc. loco iam antè allegato non parum perſæpè pro ſalute ægri ſumus gratulati, ſi febrem inſigni ac valido incendio in vniuerſum corpus excurriſſe deprehenderemus, cor fuliginum ac venenoſitatis diſcuſſione mox liberum effectum iri ſperantes, quantumuis reliqua corporis membra corde minus nobilia graui calore afficerentur. Vndè factum, vt qui calor extra peſtem Cauſonidi ſimilis, periculoſus valdè nobis ſæpè viſus fuerat, & magno ſanè periculo haud vacare meritò exiſtimabatur, nunc reſpectu maioris quod latebat mali, curatu facilis ac tractabilis planè nobis viſus ſit obtigiſſe.

NOBIS igitur hac in afflictione conſtitutis, quandoque obſeruare licuit, nihil ferè tam appoſitè peſtilentis febris conditionem ac naturam explicare, quam magnæ venenoſitatis beſtiam Cherſydrum cuius exemplar,

iucundi-

iucunditatis pariter & concinnitatis gratiâ, huc adducendum putauimus, etenim venenatus hic serpens, prout inter cæteros Cœlius Rhodiginus memorat, aquosa primitus loca incolit, his verò tandem arefactis sicca inhabitat, quod his carminibus facundè Virgilius 3. Georg. expressit.

Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis,
Squammea conuoluens sublato pectore terga,
Atq; notis longam maculosus grandibus aluũ,
Chersydrus. *Qui dum amnes illi rumpũtur fontibus, & dum*
Vere madent vdo terræ, ac pluuialibus Austris,
Stagna colit, ripisq; habitans, hic piscibus atram
Improbus ingluuiem, ranisq; loquacibus explet.
Postquam exhausta palus, terræq; ardore dehiscunt,
Exilit in siccũ, & flammantia lumina torquens,
Sæuit agris, asperq; siti, atq; exterritus æstu.

Chersydri cum Peste comparatio. SIMILI planè modo Pestis, corpora humida succi plena, & putredine humiditatem semper aliquam excrementosam præsupponente grauata, imprimis apprehendit, quamquidẽ humiditate, pulsis sudoribus discussâ, aut naturæ opificio disiectâ, vel alio quouis modo exclusâ, nihilominus tamen ea ipsa iam dicta corpora non deserit, sed quæ humida primûm infecerat, vbi ea arte, aut naturâ arefacta fuerint, pertinaciter detinet, quomodo nos in febre pestilente curandâ, venenum in

num in putrida humiditate constitutum, omnium primô pepulisse, exindè verò febrem percurasse meminimus.

Hoc autem maioris intelligentiæ causa notandum venit, quod & supra monuimus, non omnes peste correptos vnâ eademque febris specie prehendi, interdum enim putrida febris hos exercet eaq; persæpè latitans (quæ qualisnam sit cap. de signis Deo dante manifestum fiet) interdum Hectica suos huic malo iungit insultus propriis notis depræhendenda, nonnunquam verò, & Ephemera, atque hæ quidem febres antequam innotescant, hominem persæpè è medio tollunt.

Nō omnes Peste correpti vnâ eademq; febris specie laborant.

Et verò nouum non est, posse quempiam febrire, quam febrem nec ipse sentiat, nec adstans Medicus primâ statim fronte obseruet, quis enim tam felix in arte medica ac tam dexter existit, qui Hecticam quamdiu primum sui gradum tenet, statim ab initio percipiat? Cum autem Ephemeræ, quæ extra pestem inuadunt, adeô nonnunquam vel leues esse soleant, vel breues, vt vel ab ægris negligantur, ideoque interdum non accusentur, nec ab intelligentibus quandoq; obseruentur, quis non videt eas in peste longè difficilius iri cognitas?

Nō omnes qui febricitant febrire deprahenduntur.

Insvper quoq; nouus inter Medicos

tumultus & grauis exorta diſſenſio, quidam enim febrem peſtilentem peſtem ſimpliciter dixêre, alii hanc ipſam â peſte diſcrepare docuerunt, hâc forſan occaſione inducti, quod Galenum 3. in 3. Epidem. com. 57. & 3. de Preſag. ex pulſ. cap. 4. & aliis quibuſdam in locis febres peſtilentes abſq; peſte fieri dicentẽ legerint, vndè febrẽ peſtilentem, (quò ſuam forſan eò melius opinionem defendere poſſent, ac ſibimet aliqua pararent effugia) in febrem peſtilentem *veram*, & *non veram* diſtinxerunt. Quibus meam his fundamentis nitentem oppono ſententiam.

Inter Peſtem & febrẽ Peſtilentem diſcrimen an ſit & quomodo intelligendum?

FEBRIS peſtilens (vt illorum diſtinctione vtar) aut vera eſt, aut non vera, ſi vera eſt, nil aliud eſt niſi Peſtis ipſiſſima, & vt doctiſſimus Hieron. Mercur. loquitur à vera peſte inſeperabilis: ſi non vera, iam nihil vel parum cum peſte habebit commercii, & ſic peſtilens non erit, niſi ob ſimilitudinem aliquam ſymptomatum (quod forſan Galenus voluit) ita eam appellare placeat, & ſic inter malignas annumerabitur, quod ſi gradum intenderit & verè peſtilens effecta fuerit, nil niſi peſtis erit, alioquìn ſimile eſſet dicere hic Saxo eſt aut Sueuus ideoque non Germanus, aut hic Hetruſcus eſt ergo non Italus. Vndè febres malignas ὁμονυμῶς & æquiuocè peſtilentes quandoq; dici obſeruandum.

NEC

Nec obstat quod obiiciunt, pestem non vnum morbi genus constituere, sed de diuersis prædicari quomodo Hippoc. in libris Epid. pestilentes constitutiones enarrans, nullum penè morborum genus in his non apparuisse scribit, ideóque pestem ad innumeras propè ægritudines nomen quoddam commune existere. Cæterum falluntur in hoc, obseruatum est enim grassante peste alios morbos cessare, idque mea sententia eò magis, si vitium ex aëris inquinamento pendet, quod quidem sic intelligendum.

Pestis nomē de variis prædicatur.

Grassante peste, tametsi prout Hippoc. enarrauit, varii morbi homines afficiant, hi tamen tunc vt plurimum in pestilentes degenerant, quod vbi factum, non iam erunt Pleuritides, Anginæ, Choleræ, Lethargi, Erisypelata, sed Pestis cum Angina, Cholera, Lethargo, Erisypelate, & sic de cæteris, ita vt vna & eadem Pestis modo Pleuritidem, modo Diarrhæam, modo singultum, modo Cephalæam aut Hemicraneam, aut Phrenitidem habeat sibi comitem, habebuntque se tunc morbi reliqui ad Pestem tanquam symptomata, quæ accidentia cum sint, essentiam rei non mutant, eritque pestis vnum semper morbi genus, licet non semper vnifariâm afficiat, & modo sic, modo aliter diuersis morbis varimodè stipata visatur. Vndè Thucydi-

Anginæ pestilens Pleuritis pestilens Cholera, &c.

des annum illum aliorum morborum maximè immunem extitiſſe, & ſi quo quis alio prius laboraſſet, in hunc omninò conuerſum fuiſſe ſcripſit,

BVBONE. Inter omnia Peſtis ſigna maximè proprium imò pathognomonicum ſignum bubonem exiſtere in confeſſo eſt, adeò vt nullo bubone conſpicuo neminem peſte laborare poſſe vulgus arbitretur.

INSIGNIS hic ac magnæ putredinis index, ponè aures, ſub axillis, aut circa inguina modo cititius prorumpit, modo tardius, globuli ſpecie, aut columbini, quandoq; & gallinacei oui dimidiati formam repræſentans, non rarò in profundo latitans, ac non niſi tactu deprehenſibilis, à cuius tamen compreſſu dolitat, quâ notâ à parotidibus & aliis abſceſſibus non peſtiferis circa emunctoria iam dicta protuberantibus diſcernitur. De huius, prout & de Anthracis & Carbunculi, & Exanthematum natura & conditione in fine libri huius, vbi ad topica ſeu localia remedia deuenerimus, plura DEO dante tradentur.

Anthrax. ANTHRACE. Sub Anthrace Carbunculum quoq; comprehenſum volumus, cum vterque febrem inuehat inſolentem, & adiacentem partem circumquaque magis tamen Anthrax quam Carbunculus inflammet,

net, his nullus certus vt buboni præfixus est terminus, ſed modo in pectore, modo in imo ventre, aut latere vtroque, vel fæmoribus ac tibiis, nec nō brachiis aut dorſo effloreſcunt, partem cui inſident vredinis acrimoniâ ac incendio torquentes, & tanta nonnunquam caloris vi pollentes, vt vel pinguia emplaſtra ad maturandum ſuppurandumq́ue impoſita, ingenti ſuo calore, pauco tempore adeò exiccent, vt abſumpta quaſi pinguedinis humiditate, nō niſi panniculus ſupra quod malagma extenſum erat, aridus mox decidat, qui alioquin ſui ratione, tenacius, diutiusq́ue adhærere vel potuiſſet, vel debuiſſet, quod hoc anno à Chyrurgo noſtro Alexandro Spiſſwechio qui plures alias peſtes & ſatis quidem inſolentes prius viderat, non ſine cum ſuâ, tum noſtrûm admiratione eſt obſeruatum.

HIS phagædenas, Herpetes, Gangrænas & Spacelos meritò adſcripſeris cuiuſmodi ſiderationes 3. de vſu part. 5. Gal. extremis pedum digitis accidiſſe memorat qui putridis vlceribus occupati deciderint. Sic Hippoc. 3. Epidem. tantam putredinis ſerpiginem deſcribit, quâ oſſa carne nudata deciderint, vndè & Thucydidis ætate vitam membri amputatione redimebant, cum medicabilis non eſſet putredo, vndè Poëta. *Cadauerata partes.*

 Viuebant

Viuebant ferro, priuati parte virili,
Et manibus ſine nonnulli pedibusq́; viuebant,
Inuita tamen & perdebant lumina paſſim.

Exanthemata.

AVT EXANTHEMATIS. Exanthemata quaſi papulas diceres humorum per cutem leues eruptiones eſſe nouimus, cum porro hæ diuerſorum ſint generum vno exanthematis nomine Phlyctænas ψυδράκια. vibices ἐπινυκλίδας λειχῆνας maculas pulicares puncticulareſque, quæ vulgo petechiæ dicuntur, tum eas quoque quæ in cute eſfloreſcunt ſugillatis perſimiles comprehenſas volumus.

HÆC autem in Peſte creberrimè eueniunt magnæ malignitatis & ingentis corruptionis teſtes, nam & Thucydides ſubrubeam, liuidam, & papulis ac vlcuſculis eſfloreſcentibus hinc indè conſitam corporis ſuperficiem extitiſſe notauit, cuius mentem ſic Poëta metro retulit.

Et ſimul vlceribus quaſi inuſtis omne rubere
Corpus vt eſt, per membra ſacer dum diditur ignis.

VTPLVRIMVM COMITATA. Studioſè hoc definitioni peſtis ſuperadiecimus, ne Zoili arrepta leui occaſione nos negotium hoc quod pertractare ſuſcepimus non ita rectè intellexiſſe, calumniari queant.

ETENIM Bubones, Anthraces aut Exanthemata

anthemata pestem omnem comitari res est non sempiternæ veritatis, cum non paucos mori contingat, antequam Bubo vel Anthrax erumpat aut Exanthemata prodeant, idque in Ephemera potius pestilente quæ paucarum horarum spatio iugulat ac perimit, priusquam natura morbidi ac fœdi humoris excretionem aut sequestrationem tẽtat, vel cum naturæ vis omnis subitò oppressa languet, ideoque ob insignem debilitatem quasi iam à morbo se victam sentiret, virus ad emunctoria vel supremam cutem à corde excutere ac protrudere vel non valet vel non amplius satagit. Contingunt hæc autem in indiuiduis ac particularibus de quibus non vsque adeò certa tradi potest scientia. In genere verò loquendo nullam vnquam pestem grassatam esse scio, nec ex auctoribus quemquam pestem aliquam memorasse recordor, in qua Bubones, Anthraces aut Exanthemata non apparuerint, nisi forsan Ephemeram Britannicam (Anglicum sudorem dictum) qualis in Anglia Anno domini 1486. viguit, & ab anno 1525. vsque ad annum 1530. Gallos Belgas & Germanos vastauit, his caruisse dicas? de qua tamen alius census est habendus. Ac insuper in ea, materia Bubonum, Anthracũ aut Exanthematũ subitò copiosis sudoribus antequã in abscessum coiret, est vacuata.

Sudor Anglicus.

NVNC igitur Pestis definitionem tradidisse videmur, eamq́ue huic soli morbo propriam nulliq́ue alteri conuenientem, qua & ipsa ritè cognosci ac ab aliis morbis discerni ac seiungi queat.

VOCABVLVM enim *Lues* morbos excludit sporadicos dispersim hinc indè varia sorte grassantes, modo salutares, modo perniciosos, diuersi generis, quorum vnus hunc, alius alium inuadere solet.

VOX *venenata*, morbos excludit Epidemios alios, qui venenati non sunt, quales nonnunquam absque veneni aut magnæ malignitatis notis grassantur. *Summeq́ lethalis*, excludit morbum Gallicum, lepram, aliosq́; morbos contagiosos non lethales. Quæ quidem lues venenatæ cum sint, non sunt tamen summè lethales. *Et contagiosa*, per hoc distinguitur à febribus morbisq́ue aliis contagionis aut inquinamenti expertibus. *Cor primariò afficiens*, locum seu partem designat affectam.

RELIQVA maioris intelligentiæ causa adiunximus, vt per concomitantium accidentium symptomatumq́ue notitiam tetra hæc lues patefacta tanquã næuis quibusdam certis plus magis singulis eam curandam suscepturis clarius innotescat, & vt hi quos DEI permissione hac pollui continget, cognito suo

o suo malo eò citius medicinam ab eodem domino DEO datam & creatam perquirere valeant, qua tam funesti mali calamitosam perniciem cita morte alioquin funestam euadendi spes supersit. Atque vt inimicus iste tam lethalis detecta fraude plana fronte pateat, ac omnibus suis indiciis descriptus ac quasi proprio colore suo depictus cunctis pro auersatione ob oculos versetur, signa eius præcipua iam iam tradere aggrediemur.

CAPVT VII.

De Pestilentis luis signis.

CVM varia ac multiplicia sint Pestis signa, quæ hanc ipsam comitari solent, oportunum existimauimus ineuntis morbi, indicia à progressi, confirmati, ac declinantis mali signis discernere, & sic ritè suo quasque loco ac tempori conuenientes notas tradere.

PRIMVM igitur clandestina virium iactura absque causa vt vocant manifesta aut vehementi aliquo symptomate prægresso, quod has ipsas vel deiecerit, vel labefactarit, eueniens, Peste correptos fatigat, vndè spontanea lassitudo eaque nonnunquam vlcerosa &

Lassitudo virium insignis.

sa &

ſa & artuum procedit debilitas, indeq́ue pedum quaſi ponderi ferendo non ſufficientium vacillans opera languentis corporis molem titubanter ſuſtinet, tum etiam vitæ huius quaſi quoddam tædium, ac omnis propemodum animoſitatis abiectio, quam mœror excipit crebris ſuſpiriis & angore ſeu inſigni cordis anxietate comitatus, quę quidem anguſtia inquietudinem & iectigationes, ſeu de loco in locum ſicubi quietis aut ſubleuaminis quid inueniendum ſiet, crebras deceſſiones conuolutionesq́ue parit. Anguſtiam hanc rectè Thucydides atrociſſimam animi conſternationem eſſę dixit, in qua ægri quodammodo deſperabundi citam ſibi mortem adfuturam metuentes parum in Medicina ac præſidiis eiuſmodi ſpei collocant, ſed de quibus dici meritò queat.

Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem.

QVAMOBREM alius Poëta ſic lamentatus eſt.

Illud in his rebus miſerandũ magnopere vnum
Ærumnabile erat, quod vbi ſe quiſq; videbat
Implicitum morbo, morti damnatus vt eſſet,
Deficiens animo, mœſto cum corde iacebat,
Funera reſpectans, animã & mittebat ibidem,
Intolerabilibusq́; malis erat anxius angor
Aſſiduè comes, & gemitu commixta querela.

HINC dolor accedit capitis, ac nauſea & appe-

[Margin: ...ror & ...lis an...tas. — Capitis do-]

& appetitus deiectio, quæ tanta nonnunquam est vt Gal.3. in 3. Epid. multosque qui mori quam cibum capere maluerint, repertos esse commemoret. *lor & nausea.*

PERMVLTIS vertigo, nec non bilis aut pituitæ, vel humorum mixtim putrefactorum & magna corruptione deprauatorum vomitus, hinc Cardialgia & oris ventriculi exolutio, ac cordis morsus & pressura non absque lipothymiis seu deliquiis quæ animi defectiones nominare consueuimus, has sudores excipiunt algidi, frontis cordisque regionem potissimum irrorantes. *Vomitus Cardialgia animi deliquiũ.*

COMPLVRES primò horror ingens corripit, artus peruadens vndique, membraque vehementis rigoris algore quodam concutiens, post hunc calor sese in vniuersum pandens, vires magis aggrauat, Erisypelatis subito inuadentis habens faciem, qui quidem vbi cesserit, non vt aliâs in leuamen desinit, sed quantum virtutis prostrauit, absque ferè subleuationis spe consternatum relinquit.

NONNVLLIS mentum inferiusque labium ac si vomituri essent tremulum est ac pendulum, oculi coruscantes scintillant, ac rubore aut incendio quasi quodam protuberantes inflati conspiciuntur. Pulsus exilis est ac debilis & contractus, paruitate ac imbecillitate latens, ideoque obscurus & profundus, *Pulsus Peste correptorum.*

fundus, interdum quoq; frequens ac celer, ac systole eius quam diastole maior, oppressi cordis designans miseriam, quod tantoperè persæpè languet vt arteriam iustam in molem attollere nequeat, quibusdam tamen validus ac à naturali vix quidquam distans, præsertim in putrida pestilente, idque tunc maximè si febris à centro ad circumferentiam salutariter ascendit. Cor interim sæpè nefandi hostis tyrannide perculsum palpitat, & quandoque dorsum prurit. Vrina plerunque lucidè viret, aut aquosa vel subspicea est ac cruda cum aliquali spumositate, dehinc citrina sanorum vrinæ persimilis, tandem prout iumentorum turbida, ruffa ac confusa, quæ interdum non sine dolore & ardore emingitur. Facies planè aliena ac à naturali longè distans & toruo aspectu, aut viuidi coloris mutatione in virorem, pallorem, liuorē, aut subcitrinum ac veluti Ictericum colorem abalienata. Et hæc quidem primitùs.

Vrinæ in Peste quales.

INCRESCENTE seu peiorante passione vultus conductìo, spiritus difficultas aut per interualla aliundè quasi interdum petita spiratio, quam proindè Thucydides absurdum & importunum quasi irregularem spiritum rectè mihi visus est appellasse, in qua prę inflammationis, debilitatis, aut venenosarum fuliginum thorace conclusorum copiâ

&vi,

&vi, pectus in iustam molem attolli nequit, aut si attollitur certum tenorem non obseruat. Vitalis interim animalisque facultatis segnescens quodammodo studium, imò & naturalis virtutis sopita mercimonia, nullum aut paruum parant vitæ opificium. Febris intestina serpit latius, vndè oris adest ariditas, interdum quoque & amaritudo & sitis quibusdam ingens. Quod notans Lucretius quosdam sub pestilenti constitutione sitis extinguendæ causâ, sese in aquas præcipites dedisse refert, inquiens, *Oris ariditas & sitis.*

Multi præcipites lymphis putealibus altè
Inciderunt ipsi venientes ore patente
Insedabiliter sitis arida corpora mersans.

hæc tamen sitis in plurimis pauca potus quãtitate satiabilis existit, quos proindè Paracelsus sitire, & potare non velle tradidit.

NONNVLLIS fœdus sudor glutinis instar tenax ac lentus, de quo Poëta *Sudor fœtidus.*

Sudorisq; manans per collũ splendidus humor.

atque is ipse non tarò frigidus, quando nimirum ardor in vasis est, & solidarum partium vis, extinctioni vicina existit, aut cum humor crudus in morbo hoc coctionem vix admittente eliditur, aut cum calor intus in putredinis foco concentratus delitescit, corporis interim habitu algente, pro cuius intelligentia vide Sileni historiam apud Hippoc. Aliis tussis

tuſſis perſæpè arida pectus fatigans, quin & fœtens oris halitus, de quo Poëta,

Anhelitus fœtor.

Spiritus ore foras tetrum voluebat odorem
Rancida quo perolent proiecta cadauera ritu:

aliis crebra ſpiritus attractio, interdum vermium, lumbricorum ac ventris tinearum tanquã magnæ putredinis indicũ per aluum excluſio, inſignis verò egeſtionum fœtor accedit. Decubitus porrò incompoſitus eſt ac omnium penè membrorum indiſpoſita inconcinnaque ac quaſi neglecta conſpicitur abiectio.

Vermes & Lumbrici.

CAPVT pendulum eſt ac dolitat, quod furores, deliria ac mentis extrauagationes plus magis non rarò moleſtant, lingua reſponſioni vix ſufficiens, ſed vel curta nimis, vel ſuſpenſa valdè, vel hinc indè offendens, alliſam quaſi vocem edit & non niſi magno ægri conatu ritè inflectitur ſed tanquam faucibus hæreret balbutiem præ ſe ferre videtur omnis expers eloquentiæ, quæ etiam nunc mucco ac lentore quodam obducta, craſſeſcens & ſubtumefacta, in nonnullis verò arida conſpicitur. Sputa interim prodeunt liuida, cruenta, puris ſpeciem habentia & odoris auerſabundi.

Deliria.

TVNC quoque oculorum vnum in locum adeſt intenſio flexioué, nec non virtutis fluxus ac refluxus, ac ſi qui in pugna victus

rurſus

rursus vinceret, ac modo vacillans labasceret, modo insurgeret sese recolligens, quam pugnam cruoris non rarò è naribus comitantur stillicidia.

Et iam ferus Bubo, Anthrax vel Carbunculus suam sibi delegit in corpore prouinciam, quã tensionis, inflammationis, vredinis ac doloris immanitate torquet, qui cum primò vel delitescens in profundo absconditus hærere, vel parui negotii significationem præ se ferre videbatur, magnam tandem arripit capedinem. *Bubo Anthrax vel Carbunculus.*

BVBO quidem suam sese in altitudinem attollit, nunc auellanæ, sæpius iuglandis, non rarò columbini, crebrò quoque dimidiati oui, interdum etiam pugni formam & magnitudinem repræsentans. *Bubo.*

ANTHRAX primò paruam educit pustulam ampla rubedine & caloris ac inflammationis halone circumquaque succensam, quæ furente veneno latius serpens, magnam non rarò pro situ loci (carne in tabum resolutâ) exedit capacitatem, non aliter ac si flamma vorax propinquam adussisset vicinam. *Anthrax.*

CARBVNCVLVS mole quidem paruus, at mali moris ac malignitatis vi supra modum insolens, admirationem sui parit nõ *Carbunculus.*

immeri-

immeritò, quod tantillo vlceri tam celeris parandæ necis extet occaſio.

NON paucis Exanthemata ſeu maculæ, modo vibicum inſtar latæ, modo pulicaribus ictibus formâ & magnitudine comparandæ, atque hæ quidem ſubindè purpureæ, nonnunquam nigræ, aliquando etiam cæruleæ in pectore potiſſimùm & dorſo circa ſtatum ferè morbi effloreſcentes, nonnullis verò puſtulæ papulæque nigricantes liuidæ ac cæruleæ aut vario colore depictæ ac multiplices cutis deturpationes adueniunt.

Vigiliæ.

NVNC igitur vigiliæ iuges à ſolenni Eurypo & inſigni humorum in corpore perturbatione vrgent, de quibus Poëta,

Quippe patentia cum toties ardentia membris
Lumina verſarent oculorum expertia ſomno.

Sopores Lethargi ac Comata.

aliis è contra ſomnus profundior Lethargo haud abſimilis incidit, qui Comatòdes cum ſint ingenti premuntur ſegnitie, ac abiecta omni vitæ curâ, attonitorum more ſtupidi flacceſcunt, alii è contra auctis iectigationibus vomituriunt, cardiogmo & cordis punctura plus ſæpè perculſi, interdũ ſingultiunt aut conuelluntur. Calor his modo ſubitò ſuccenſus, mox in totum repreſſus, abhinc pulſus ſuppreſſio, retractio, imbecillitas, ac intermiſſio, extremorum frigus, naſi acuties, faciei roſcida humectatio, palpebrarum ac ſuperci-

Facies Peſte correptorum aliena & ferox.

perciliorum conductio, temporum concidentia, ſpiritus alliſio, ac eius trepidante motu ab infirma forſan pectoris vi attractio, faciei abalienatio, (vtpotè quæ temulentorum more incerta ſit ac ferox) pectoris ſaltus & ex imo ventre producta reſpiratio, inordinatæ locutionis prolatio, corporis ſqualor & ſiccitas, cutis ariditas & rugoſa ac veluti ſquāmis veſtita prætenſio, ſubiectæ porrò carnis flacciditas aduenit. Lingua ſcabra eſt & ſicca, ac rimis quibuſdam dehiſcens, inſigni calore in nigrorem ſeu prunam exuſta, quod vitium nos Germani (die Breüne) nominare conſueuimus, ſymptoma non niſi ardentibus febribus familiare ac conſuetum.

Pruna ſeu prunella ardentiū febrium ſymptoma.

ALIIS fuligines prauæ ex imo ſurgentes corpore, palatum, linguam, aut oris internas partes excoriant ac exulcerant, quod Gal. 4. Methodi cap. 12. animaduertiſſe videtur, notauitque hoc ipſum Poëta ſic inquiens,

Aphtæ & oris vlcera.

Sudabant etiam fauces intrinſecus atræ,
Sanguine & vlceribus vocis via ſepta coibat,
Atq; animi interpres manabat lingua cruore
Debilitata malis, &c.

TVM verò ſæuire magis ac increſcere, ferociamque ſuam ingentem maligna debacchatione oſtentare videtur Delirii, Lipothymiæ, Choleræ, Diarrheæ ac Lienteriæ, aut narium Hæmorrhagiæ aliorumque prauorum

ſymptomatum congeries, non aliter quam ſi ab aliis morbis omnibus, tanquam ſeditione factâ, malo conſilio congregata ad parandam necem vnam tantâ turbâ confluxiſſent, quibus ſeſe grumoſi ac putridi ſanguinis vomitus interdum reddit ſocium & aſſeclam.

Sanguinis vomitus.

Fluxus alui ſyntecticus.

FOEDA, vnctuoſa, pinguis ac graueolens deſcendit alui proluuies, quo quidem fluxu peſtilentiali ac ſymptomatico correpti totâ nonnunquam cute permutantur, facieque liuent, peſtilenti putredine per corporis ambitum diffusâ, nonnullis ob materię venenoſitaté ex atrophiá quadam vngues decidunt, ex quibus quidem nullus ſeruatur, qui atram bilem exactam deiecerit. Vide Gal. lib. de atra bile & 4. aph. 21. Tandé corporis algor, & delaſſata omni corporis virtute, à ſymptomatum labore quies, ita vt tot ſæuorum accidentium ſupportatione antehac fatigatus æger, ſubitò ac nulla ſalutari criſi præcedente iam ſeſe ſaluum effectum, nihilque amplius doloris (toto corpore per veneni perniciem æquali diſcraſiâ alterato, partibusque omnibus ac ſingulis æquabiliter hac lue infectis, & inſita eorum vi euictâ) perſentiſcere fateatur, his quaſi à pugna feſſis ſomni aut requiei cupiditas incidit, nonnullis è lecto tentata crebrius fuga, artuum procubitus, oculorum affixio, labiorum pallor, naſi ac extremarum auricula-

Fugâ è lecto.

auricularum liuor, nonnullis hypochondriorum tensio ac ventris insufflatio, aliis ardor ingens vniuersum corpus pererrans tactum tamen non vsque adeò feriens, nonnullis brachiorum aut crurum non sine insigni dolore tanquam gangræna pressarum partium cæruleo aut subpurpurascente colore tinctio, quibus plerumque mors, quod cum stupore non semel spectauimus

Atque hæc est illa tam calamitosi morbi facies vnam non semper formam habens, sed næuis quibusdam variantibus diuersimodè distinctam.

PATHOGNOMONICA tamen & inseparabilia morbi huius signa sunt præ reliquis ingens virium iactura, qua corpus absq; magno (si ad sensum pensites) symptomate languet, deindè pusillanimitas, cordis anxietas & pressura, nausea vel vomitus, capitis dolor & deliquium, expressissimum tamen signum est præter hæc cum horrore aut rigore prorumpens Bubo, Anthrax vel Carbunculus.

Signa Pestis inseparabilia. In Peste virium languor & debilitas statim ab initio, in aliis verò febribus circa statum vel incrementum morbi accedit.

VERVM hæc de signis, quorum valorem vtpotè quænam magis vel minus praua sint in prognosticis mox tradendis perquirere licebit, si modo prius tanti mali causas, quantum nobis eas cognoscere datum est peruestigauerimus.

Ephemeræ Peſtilentis ſigna.

CVM autẽ iam dicta ſigna vt plurimum putridam peſtilentẽ comitari, & ea ipſa quidẽ non apud omnes ægros eadẽ ſed modo hæc, modo alia (prout ſeſe peſti nunc hęc, nunc illa ſymptomata coniungunt) apparere ſoleant, Ephemeram peſtilentem crebris deliquiis vrgente vomitu, vigiliis & ingenti iectigatione cognoſces & à putrida diſcernes, inſuper in hac paucus calor corpus vrit, nec vrina ægrorum à ſanis quidquam diſtare videtur, aſt inter negotia ex inopinato enectis clam ſpiritibus intra viginti quatuor horarum ſpatium decedunt.

Signa Peſtilentis Hecticæ.

IN Hectica peſtilente præcordia flagrant, magna & crebra fit reſpiratio, pulſus imbecillis eſt ac celer, vires ſenſim notabiliter deficiunt, vrina non mutatur ſed ſanorum inſtar ſpicea eſt aut citrina, cor validè comprimitur, anhelitus fœtet, facies pallet, & ægri licet flamment donec moriantur, ob carentiam tamen viciſſitudinis paroxyſmorum ſe febrire non ſentiunt, nec de febre conqueruntur.

HÆC ferè ſunt quæ de notis huius tam crudelis ac formidandi mali diſſerere cum libuit tum oportuit, quod cum iam agnitum habeamus à quibuſnam hoc cauſis ſuſcitetur perquirendum.

CA-

CAPVT VIII.

De causis Pestis.

MAGNVS ille ac solers Medicinæ cultor ac quasi parens Hippoc. cum Medicum artificem sensatum esse procul dubio cognouerit, morbis ferè omnibus singulare quidpiam inesse animaduertit, quod sensus indagine percipi non posset, ideoque abstrusum id & reconditum quamuis Ethnicus, naturalis tamen luminis instinctu quidpiam supra naturam esse rectè arbitratus est, quod proindè is ipse Diuinum appellare fuit solitus. *Diuinum in morbis Hippoc. agnoscit.*

Eo forsan fundamento nixa veterum religio, grauissimorum morborum & Pestis præcipuè causam in diuini numinis, (scelera hominum iustè vlciscentis) iram coniicere non dubitauit. Etenim vel paganorum futilis ac inutilis pietas Græcorũ in bello Troiano exercitui ob filiam Chrysis stupratam, pestem ab Apolline immissam fuisse sibi quondam persuasum habuerat, vndè sæpius non ad Medicinam sed ad piacula confugiens, precibus ac victimis malum hoc auertere satagebat antiquitas, sic Demetrius quidam Lacon taurum magicis incantamentis cicura-

Ethnicorum deliramenta. tum, & filo ad alterum cornu religato in amphitheatrum deductum, Pesti (quondã Deæ habitæ) eundem mactauit, quomodo Magos suas victimas in mare proiecisse ac Neptuno ea piacula obtulisse legimus.

Et inter alias quoque laruas diabolicas Epidaurius ille anguis Romam deuectus magna fraude ac dæmonis astutiâ homines in eam superstitionem adegit, ac si vrbem peste obsessam liberasset.

Nonnvlli cacodæmonum inter homines humanâ efficta specie habitantium deliramentis hanc cladem acceptam retulerunt, quos ciuitates ac oppida tetra coinquinatione fœdare crediderunt, quos proindè à populo lapidibus obrui curarunt, sic Pythagoras à Thurio & Metaponto, & Apollonius Tyanæus ab Epheso pestem expulisse sibi visi sunt.

Sed quid in nugis his recensendis diutius moror? Sanè Christiana pietas summum rerum omnium conditorem, suæ iustitiæ iura, hac immissa calamitate exequi vt plurimum credidit, vtpotè quæ tales Dei comminationes in sacris litteris promulgatas esse cognouit, vndè vel Medici à causis primis abstrahentes, morbum hũc ictum esse gladii acuti iræ diuinæ, ab ineuitabili & infallibili *Angelus percutiens.* manu Angeli percutientis proficiscentem

sunt

ſunt arbitrari, quin & ipſe Paracelſus impius alioquin à nõnullis exiſtimatus, Peſtem iram DEI, vulnus à ſuperis inflictum, morbum ſupernaturalem, & iaculum è cœlo miſſum nominare fuit ſolitus: Studuit autem ſemper ſolicita ac pia mater Eccleſia, ſacrificiis ac aliis quibuſdam deprecationũ modis conceptam iam à DEO vltionis voluntatem humili præmiſſa pœnitentiâ tantiſper ſuſpendere, dum vel populus obnixè rogans, ſuorum peteret veniam peccaminum, ac feruorem iræ diuinæ delictis ipſius ſuccenſum, lacrymis rurſus temperaret.

NOTVM eſt inſigne illud ac memoratu digniſſimum diuinæ bonitatis exoratę exemplum, quod tempore ſancti Gregorii contigit. Etenim crudeliſſima quædam peſtis ſub Pontificatu Pelagii ſæuire inceperat, cumq; ea diutius in populum debaccharetur inſtituta à ſancto Gregorio ſolenni prece, cum populi turba ingemiſcens lugeret ac deprecabunda vnanimiter ad dominum DEVM orationes publicè funderet, Angelus ſuper Hadriani molem cœlitus apparẽs ac adſtans, cruentatum enſem ſpectante S. Pontificè in vaginam recondidit, nunc tandem diuinam maieſtatem placatam eſſe hoc ipſo facto ſignificans.

TRADVNT Veterum hiſtoricæ anno-

Veterum pietas ac deuotio.

tationes, abauos proauosque nostros huius quondam vrbis incolas, spreto corporis cultu discalceatos magno planctu in publicis rogationum processibus ad obtinendam DEI misericordiam pestemque auertendam multo gemitu deuote fuisse precatos, vt iam ieiunia, Eleemosynas ac præter hæc carnis mortificationes sileam, quibus veluti Niniuitæ diuini numinis iram & iustam vltionem pio Zelo permoti auertere studuerunt. Sic anno reparatæ salutis humanę millesimo trecentesimo quinquagesimo octauo, pia veteranorum ciuium deuotio pro auertendâ Pestis plagâ, venerabile Eucharistiæ sacramentum vnâ cum sanctorum reliquiis circum vrbis mœnia supplicando deportans, tantæ pœnæ ablationem à domino DEO extorquere studuit, quo tempore maiorennes quicunque erant, floccineis vestibus induti ac nudipedes nec nisi pane & aqua pasti, publicam rogationis processionem magno posteris deuotionis relicto exemplo sunt secuti, quorum pietatem imitata posteritas, eandem veniæ precandæ viam Anno 1379. & Anno 1389. annoque 1398. laudabiliter ac consultô est ingressa, quod ipsum nos è fidis ac piis veterum manuscriptis annotationibus in monasterio S. Vdalrici. excerpsimus.

VERVNTAMEN hæc ad Theologos cum

cum ſpectet tractatio, ne falcem alienam in meſſem mittere videamur ad ſecundas & eas quidem Phyſicas peſtis cauſas, quibus dominus DEVS ad inducendos conſimiles morbos plerumque vtitur, deſcendamus, hoc ſolum monuiſſe placuit, ne Medicos ſolis ſuis remediis confiſos, ſupernaturalibus cauſis nihil vel parum tribuere quiſquam exiſtimet. Etenim diuinum quid in omnibus morbis cum Hippoc. meritò agnoſcimus, ægritudineſque peccatorum noſtrorum ſequelas eſſe ſcimus, ad quas tamen pellendas infinita DEI bonitas & miſericordia, quæ nunquam deficit, afflictionem ſine conſolatione, & morbum ſine remedio vix vnquam immittens, innumerabilia propemodum in rerum natura proſtrare voluerit auxilia, vt quos per ſecundas cauſas vulneraret DEI iuſtitia, per ſecundas quoque cauſas rurſus ſubleuaret eiuſdẽ miſericordia ſicut ſcriptum eſt. Deutron. 32. *Ego occidam & ego viuere faciam, percutiam & ego ſanabo.* Etenim vt Hanna 1. Reg. 2. ait *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.* *Diuinum in morbis.*

AD cauſas porrò Phyſicas ac naturales deſcendendo duæ ſeſe magis generales mihi offerunt peſtem vel inducentes, vel corporibus ingenerantes, externa quidem vna, interna porro altera, vtraque tamen conſimili malo fu- *Phiſica Peſtis cauſa duplex, interna & externa.*

lo funesta. Externam causam voco aërem, vel propria ac ingenita sibi labe (ac vt Philosophis loqui mos est) per se, vel aliundè & causis magis particularibus ac per accidens vitiatum venenatumq́ue.

Ac primi quidem generis pestem suscitare crediderunt Astrologi nonnullorum syderum infaustos quosdam positus, inter quos Saturni & Martis sub Virgine aut Geminis concursum iam dicto Planeta Marte dominium tenente, accedenteq́ue Ecclypsi potissimum, commemorant.

Syderum positus.

NOVISSE videtur hoc Auicenna nec non Albumazar & Albertus Magnus, qui Iouem cum Saturno concurrentem, si Iupiter ab hoc victus fuerit, pestem causare opinati sunt, præsertim si ad humidorum signorum aliquod, talis fiat Planetarum collisio. Sanè Aristoteles, coitione Iouis & Saturni regum principatus oppressos ac deletos iri, pestemq́ue sæuituram comminatus est. Horum opinionem sic Poëta expressit.

Pestiferis morbis aër prima omnibus ansa est
Pestifer, & subitæ crimina mortis habet.
Cœlitus imbuitur tabo difflatilis aura,
Mars quando obiicitur Falcitenensq́; Ioui.
Dum tamen hæc generi humano infaustissima vincant
Signa, salutarem munificumq́; Iouem,

SVNT

SVNT hæc Astrologorum placita quibus qui fidem habere volet, habeat, nos enim in symposiis nostris Medicis, quę DEO vitam ac valetudinē concedente forsan aliquando in lucē dare cogitamus, hoc argumenti genus pertractauimus, possintnè astra inferioribus hisce corporibus maleficum, ac venenatum quidpiam inferre, seu lethiferum, quæ ad totius vniuersi ornamentũ & emolumentum, non elementorum materiâ, sed quintâ quadam ac peculiari essentiâ constantia à domino DEO opt. max. condita esse videntur.

INTERIM Astrologorum obseruationes non reiicimus, sed de modo per quem sydera hoc vel illud in nobis efficiant, non leuis est disquisitio: quod si astra inclinare non necessitare cognouerimus, rectè Paracelsus nec Venerem libidinis in Troiana Helena, nec Martem Tyrannidis in Nerone Romano auctorem extitisse voluit, & sic quoque Planetarum horum vel illorum coitionem ac concursum, non quidem simpliciter pestem inuehere, sed longo ac alto tractu præuiis aëris dispositionibus quasi per multas manus tradita oportunitate causare dicendum arbitramur.

Verũ hæc rarius cõtingunt, plerumq; enim aër vitiũ ac corruptionem subit, si salutaribus ventis nõ difflatur, aut si putriũ ac fœdarũ exhalationum

Aëris variatio.

halationũ inquinamento polluitur, vel nimiũ calens & humectus computrescit, cuius deindè putredinis energia ad veneni gradum malignitatis intensione tandem deueniat & insurgat.

PLVRIMVM porro noxæ capit aër à cæsorum in prœlio cadaueribus nondum humatis, quin etiam à stagnis, paludibus, sentinis, piscinisq; præsertim limosis & iis in quibus linum aut cannabis inaquantur aut infusa sordescunt. Quin & cloacarum, sterquiliniorum & angiportuum fœtor formidandus, hinc enim non pauci exurgunt halitus & fœda miasmata, quæ in aëra delata ibidem vel fouentur, vel propagantur, ac necessaria cum sit diu noctuque homini respiratio, vnà cum iam dicto aëre inspirantur, cordi per singulare dissidium aduersa. De cadaueribus insepultis hæc prodidisse videtur Lucanus.

Inquinamenta varia aëri permixta.

Corpora tum soluit tabes & digerit artus.
Traxit iners cœlum fluidæ contagia pestis
Obscuram in nubem, &c.

Et Ouid. 7. Metamorph.

Corpora fœda iacent, vitiantur odoribus auræ.
Mira loquar, non illa canes auidæq; volucres,
Nec cani tetigêre lupi, dilapsa liquescunt
Afflatuq; nocent, & agunt contagia latè.

CONSIMILEM ferè aëri coinquinationem inferunt pisces sub antris emortui, &

magnâ

magnâ ad littus copiâ ſubitò eiecti, vtpotè magni ac multi fœtoris auctores. Quod in Auerno lacu emortuos, nigros, & ſulphur redolentes piſces eiiciente, tempore Roberti Regis Siciliæ contigit. Sic Ætnam montem terræ motu concuſſum ignes euomuiſſe flãmasq́; diffudiſſe ſcribit Iulius Obſequens & ad inſulam Liparas mare feruefactum piſces neci dediſſe, quibus ad littus reiectis cum incolæ auidius veſcerentur, noua peſtilentia vaſtatis inſulis ventris contaminatione abſumpti perierunt.

Peſtis à terra halitu.

SED & terra ſuam quoque ad peſtem generandam quandoq́; opem confert, cum venenatas ſub ima tellure multo tempore contentas auras, aut in meditullio eius quaſi genitas, violento ac formidabili terræ motu nonnunquam excutit, vel alioquin arrepta occaſione emittit. Sic in Babylonia quandam miræ vetuſtatis arcam in templo Apollinis adapertam tam pernicioſum halitum expiraſſe tradunt, vt exindè peſtis ad Parthos vſque immaniſſimè graſſans ſit ſubſecuta. Quin & apud Ammianum Marcellinum tempore Marci veri Imperatoris poſt direptum in Seleucia templum, & Apollinis ſimulachrum Romam allatum, anguſtum quoddam foramen à militibus Auidii Caſſiir epertum apertumq́ue fuiſſe legitur, quod virulenti ſpiri-

tus

tus exhalatione maximam peſtem induxerit. Neque verò mirum eſt tales ſub terra halitus contineri cum in ſpecubus interraneis Realgaris, Arſenici, Mercurii ac aliorum multorum venenorum copia permultis in locis proſtet, quorum halitus ac expirationes tam arctè concluſæ, & haud quidquam difflatæ vbi ſubitò eruperint, quis venenatam ac lethalem luem inferre poſſe dubitabit?

Inordinata temporum conſtitutio.

LONGE porro communior peſtis cauſa eſſe ſolet aër, non is quidem veneno aut putredine vitiatus, ſed inordinatâ primarum qualitatum ſubſecutione noxius, vtpote cum is modo in calidum, modo in frigidum, humidum aut ſiccum declinans, fortuito quaſi euentu nulloq́ue temporis habito reſpectu ac ratione, præpoſtero planè ordine nunc in hyeme calet, nunc friget in æſtate. Atq; hoc quidem notatu digniſſimum aduenit ſummo ſemper ſtudio à Medicis & publicis ſanitatis magiſtris meritò obſeruandum, etenim tempeſtatibus tempeſtiuè non euenientibus. ſeu cum ὡραῖα non ὡραίως accidunt, vtpotè cum quæ æſtas eſſe debuerat, autumni naturam induit, vel cum autumnus veris, aut hyems autumni conditionem gerit, nec ſeſe mutuo ſtatoq́ue ac recto ordine partes anni excipiunt, natura in prauorum ac putrium humorum prouentum luxuriat, idq́ue eo magis

magis quo crebriores ac intensiores, frigoris, madoris, squaloris, aut æstus mutationes inciderint præpostero præsertim successu sese mutuo, vt iam dictum est, excipientes.

POTISSIMVM autem in morbos & putredinem præcipuè prona esse solet humens ac tepens anni constitutio qualem in Cranone 2. Epid. fuisse scribit Hippoc. vbi flante Austro plurimus cadebat imber, vndè corporibus innati ichores iique putres, qui pustulas & carbunculos generarunt. Sed & Galenus 1. de Temper. cap. 4. solam calidã & humidam constitutionem morbos pestiferos plurimum parere docuit.

Austrina ac pluuia, seu humecta anni constitutio morborum pestilentiũ causâ.

AT verò mirabilem planè ac stupendam anni pestilentis & Austrini constitutionem enumerat Hippoc. 3. Epid. cuius quidem non locum integrum, sed aliqua saltem notabiliora excerpere & adscribere huc libuit, vt ij, quibus Hippocratis libri ad manum non sunt, nos non ex propria opinione, sed ex ipsa Hippoc. mente, ac eius quidem ipsius diligenti obseruatione & experientia hæc scripsisse intelligant. Sic autem habet.

Pluuius Austrinus sine aura vsque annus hic fuit, cum æstus siccitatesúe prius cum Austris viguissent, circa Arcturum multum pluit, tenebricosus & nubilus autumnus fuit, magna vis aquarum, hyems Austrina, vda, lenis. Et

paulo

paulo infra morbos ſub hac tempeſtate natos enumerans ait, *ora puſtulabantur, pudendis tubercula fiebant, carbunculi vigebant, Eriſypelata proſerpebant.* Et ſubdit. *Plurimis verò horum abſceſſus ad ſupuramenta concidebant, carniumq́; neruorum & oſſium magni caſus fiebant, quod verò deflueret, puri ſimile non erat, ſed putredo quædam alia, quâ capilli totius capitis & pili menti defluxêre, imo & oſſa ipſa carne ſpoliata deciderunt, adeo vt quibuſdam tota coxa, vel quæ circa tibiam ſunt, imo & pes totus carne putrefactâ denudatus fuerit.* Conſimilem conſtitutionem peſtiferam ex Auſtrina ſeu calida & humida intemperie deſcribit Ouidius 7. Metamorph. his verbis.

Principio cœlum ſpiſſa caligine terras
Preſſit & ignauos incluſit nubibus æſtus.
Dumq́; quater plenis expleuit cornibus orbem
Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem:
Lethiferis calidi ſpirârunt æſtibus Auſtri.

IGITVR præpoſteræ tempeſtates (quod hoc anno nobis euenit) & aura diutius ac pluſquam humecta peſtilentium morborum ſunt auctores. Cum porro Auſtri ac Auſtrinæ conſtitutionis ſæpius iam facta ſit mentio, paucula hîc ad eius naturam plenius intelligendam annectere decuit.

Quatuor venti. VETERES inter quos Homerus, quatuor ventos, Notum, Boream, Zephyrum & Eurum

Eurum (qui & ſubſolanus quibuſdam dicitur) memorarunt, inter quos νότος auctore Gellio ſic dictus eſt, quod nebuloſus ferè ſit ac humectus. Auſtri autem nomine intelligi volumus ventos omnes calidos & humidos, nempè Euronotum inter meridiem & occaſum hybernum ſpirantem, & Libanotum inter meridiem & hybernum ortum incedentem Euronoto ſicciorem ac ſalubriorem. Conſiderandum tamen in qua mundi parte, vel quo loco degas, & quomodo his pronus vel auerſus habites, cum enim ex Auſtris alii maritimi ſint & occidentales, alii vero orientales & mediterranei ex quorumnam aduentu melius habeas vel habere poſſis conſiderandum.

Hic forſan non iniquè quiſpiam interrogabit, qui fieri potuerit, ac etiamnum fieri poſſit vt quædam peſtes non ex Auſtrina ſeu humida anni conſtitutione, ſed ex ingenti ſiccitate oriantur, etenim ex hac peſtem quandoq; naſci docuit Auenzoar, memoratq; Liuius lib.1. decad.4. ob nimium ſqualorem Romæ peſtem factam eſſe, quod nimirum ſiccitate eo anno plurimum laboratum fuerit, neque cœleſtes modo aquæ parcè deſcenderint, ſed terra quoque ingenito humore egens, vix ad perennes amnes ſuffecerit. Vnde alii pluuiarum fontes & puteos ſiccatos,

Peſtes ex ſiccitate quandoque orta.

& canes ac animalia ſiti enecta aëri iniuriam ac fœditatem intuliſſe memorant, quomodo etiam ex ſiccitate quandoque peſtem contigiſſe ſcribit Nicephorus Calliſtus lib. 15. cap. 10. ſic inquiens. *Solitæ pluuiæ hyberno etiam tempore in nubibus ipſis iunctæ ſunt & retentæ. Fames mox conſequuta, & deinde peſtilentia. Acceſſit ad eas clades, quæ propter calorem igneum Carbunculus vocatur, vlcus odoris peſſimi, membra corporis admodum contrahens, & quod latius ſerpens ingens crearet periculum, occupatisq; oculorum angulis viros ſimul & mulieres, quas occupaſſet, luminibus orbaret.*

Hvic obiectioni ſatisfaciendum eſſe arbitramur dicendo id vix vnquam per ſe, ſed per accidens contingere, vt ſicca aëris conſtitutio peſtem inuehat, quod ſi fit, vel nimiâ ſiccitate inſpiſſati quodammodo humores, obſtructiones in venis generarunt, ex quibus poſtmodum putredo nata fuerit, vel iidem humores ſupra modum exuſti, in Anthracum, Carbunculorum, ipſiusque peſtis materiam degenerarunt, quos cum natura penitus euincere ac è corpore expellere non valeat, conſimiles morbos producunt.

Alia cauſa eſt, quod cum tantæ ſiccitates eueniunt, terra benigno ſuo rore, madoreque tanquam viuifico nectare, non pro

more

more debito, ac exigentiâ perfusa sterilescat, vndè annona caro venit pretio, ac plebs in famē adacta victu minus salubri sese satiare nititur. Quod militi quondā Cæsaris fame grauiter presso accidisse scribit Lucanus. *Fames Pestis occasio quandoq; extitit:*

—— —cernit miserabile vulgus
In pecudum cecidisse cibos, & carpere dumos
Et foliis spoliare nemus, lethumq; minantes
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas.

CONSIMILEM siccitatem atque inde pestem, famemque subsecutam 3. Æneid. refert Virgil.

Iura domosq; dabā subitò cum tabida membris
Corrupto cœli tractu, miserandaq; venit
Arboribusq; satisq; lues, & lethifer annus.
Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora, tum steriles exurere Syrius agros,
Arebant herbæ, & victum seges ægra negabat.

SANE famem Hierosolymitanam pestis est subsecuta, prout & ingentem illam aliam sub qua homines cadauera è sepulchris eruisse, vt ossium medullis vescerentur scribit Auenzoar.

ATQVE hæc est altera illa causa generalis pestem inuehens, cum nimirum ex prauo nutricatu succi nostri corporis in veneni perniciem abscedunt, quomodo Galenus lib. de cibis boni & mali succi & 1. de diff. feb. cap. 3. morbos pestiferos ex praua victus ratione *Prauus Victus.*

oriri docuit, sic in Æno leguminum esus crurum vacillationem produxit. Vndè notum esse volumus, frumentum malè repositum, ac annonam rancidam, aut rubigine vitiatam, vel alioquìn non ritè ventilatam, nec non cibum quemuis putrilagine conspurcatum corporibus humanis prauos succos ingenerare, & per consequens pestem causare posse, si præsertim aër extra suam temperiem constitutus, temporis anni debitam constitutionem aliena quasi lineâ ac viâ decurrens non obseruet, adeoque putredinis huius intrinsecus iam cæptæ ac inchoatæ focum foueat, ac malitiei huic copiosiores vires quodammodo subministret.

Annona rancida.

CVM igitur aëre & alimento corpora nostra sustententur, conseruenturque, non immeritò causas pestis generalissimas in hæc duo coniecisse videmur, aërem corruptelam extra nos genitam habentem, fouentemque, causam externam, alimentum verò & succos ex prauo nutricatu grauiter fœdos, vel alioquìn malignitatem adeptos, qui intra nos suę prauitatis rudimenta cœperunt, internam ac intra nos natam pestis causam existere statuentes.

Duplex Pestis causa aëris nimirũ corruptela & prauitas succorum.

HIS ambabus tertia sese iungit vtrique communis, nec his ipsis rarior, Contagio scilicet, per quam pestis seminaria longè lateq; spar-

Contagiũ.

ſparguntur, ac etiam in ſalubres perſæpè regiones deportantur, in quibus varimodè diſiecta, numeroſâ malorum progenie pullulaſcunt. Quo autem modo, quauè ratione Contagium & afficiat, & inficiat, fusè ſatis in cap. huic rei deſtinato ſupra à nobis traditum eſſe exiſtimamus.

Sed & animi quædam paſſiones hunc morbum vel ingenerare, vel aduocare protinus, eoque tabo corpora fœdare, vel ad minimum hæc ipſa ad luem capeſſendam quam maximè diſponere poſſunt, nempe timor, metus terrorque, ſub quo & triſtitiam comprehenſam eſſe volumus, hæc enim animi pathemata ſpiritus vitales introrſum reuocatos ſuffocant, aut iugulant, vndè cordis (quod fons eſt affectuum animi) vires franguntur, qua ratione id ad veneno reſiſtendum efficitur magis inualidum, nec tractas ex aëre conſpurcationes diſiicit, nec occurrentibus malis repugnat, ac denique primis tam periculoſi ac ſubdolè ſubintrantis morbi primordiis, ac quaſi rudimentis non reſiſtit. Vndè corpora timore ac metu languere ac imbellia effici notauit Ouidius cum ait 6. Faſtor.

Animi pathemata Peſtis cauſa eſſe poſſunt.

Abſtulerat vires corporis ipſe timor.

& Epiſt. 14. Hypermeſtra Lino.

— —vires ſubtrahit ipſe timor.

Et ſanè ſi in omnibus morbis virium

tia cunctis aliis ſignis ſalutem pollicentibus fidem facit non immeritò, quis non videt eas hoc in morbo (in quo virium effectrices ſpiritus, atque horum quidem focus ac patria, nempè cor ipſum propria ac natiua dote priuari videtur) eſſe potiſſimùm obſeruandas ac attendendas? Cum proindè timor ex imaginatione futuri mali corruptiui (vt Ariſtoteles lib.2. Rethoric. vult) perturbatio quædam ſit ac dolor, propter quam vt Sophocles ait, animus metu preſſus ſuis bonis haud frui valeat, euenit vt intrò receptis ac quaſi enectis ac ſuffocatis ſpiritibus, virtus vitalis in veneno alioquìn expellendo ſtrenuè laborans, nunc quaſi vincta, his veluti vltrò ſeſe miſeriis objiciat, aut ſaltem veneni non tantũ, quantum introſuſcepit expellat.

Timor.

HAC de cauſa Thomas Iordanus vir ſanè præclarus, in obſidionibus ac caſtris peſtem crebrius euenientem non fœtori aut putredini cæſorum cadauerum, ſed terrori, metui, anxietati, & mortis formidini, adſcripſit quæ humores exagitet, eosque tumutluari ac fluctuare faciat, imo non aliter quam Sole in Syrio exiſtente vina turbari ſolent, ſic humorũ iam dictorũ fæces, è ſentinâ quaſi ad ſuperficiem extrahi eſt arbitratus, qui idem veſpillones & cadauerum funeratores, imò & Chyrurgos & eos qui (vt Comicus ait) ex

aliorum

aliorum incommodis ſua comparant commoda, tametſi vitioſis perſæpè ſuccis abundent, rariùs peſte corripi exiſtimauit eam potiſſimum ob cauſam, quod vino curas diluant, & ſpreto mortis periculo, nullis ſollicitudinibus attriti, hauſto mero copioſiore exhilarati calamitatis memoriam diſcutiant, vino curas triſtitiam & puſillanimitatem pelli poſſe, iam quaſi vſu edocti. Timoris iam dicti ac metus tam inſignis vim, ac quomodo corpora hoc affecta ſubitò perculſa fatiſcant, ac de ſanitatis ſuæ gradu deiiciantur Poëtæ ſuccinctis metris exprimunt, inter quos Virgilius 3. Æneid.

— —mentem formidine preſſus
Obſtupui ſteterũtq́; comæ, & vox faucib⁹ hæſit.

Et Ouid. 6. Metamorph. fabula 1. de Arachne.

Occupat obſeſſos ſudor mihi frigidus artus
Cæruleæq́; cadunt toto de corpore guttæ.

Qvi idem lib. 1. Faſtor: viuidi cordis nectar vno timore extinctum quaſi ſibi refert.

Extimui ſenſiq́; metu riguiſſe capillos,
Et gelidum ſubito frigore pectus erat.

Torpet igitur vitæ vis ac robur contra malignam inſpirationem vel minimum pugnans, ſed animo quaſi deiecto & haud quidquam noxis reſiſtente à veneno confeſtim capitur, atque antequam ſeſe recolligat,

intantum ab hoc pessundatur, vt erigere sese deindè non valeat, vndè & vires & animus labitur, cuius tamen vigor in hoc morbo magni remedii locum tenet, proindè non ineptè Lucanus lib. 4.

— —Tum frigidus artus
Alligat atq; animum subducto robore torpor.

PLENA ac referta ferè est horum malorum turbis nostra memoria, quâ plurimos, visis dum ad Nosocomium publicum deportarentur ægris, vel aliorum ægritudine ac morbo vel morte nunciatâ, adeò perterrefactos, si non mortem ipsam graue tamen periculum incidisse recordamur, id enim imaginatio molitur, cuius vis, humores ac spiritus subuertens ac varimodè conturbans, nõdum natis infantibus stigmata & næuos (qui Germanis Muttermähler dici consueuerunt) imprimit, proindè non inique Diogenes Cynicus metum tam improbum esse dixit, vt multi rem quam metuunt, ipsi anticipent.

Succincta causarum Pestis recapitulatio.

ATQVI vt eorum quæ iam paulò prolixius hîc tradidimus, breuis ac succincta supersit rememoratio, causas omnes pestis ad certa quædam capita reducendo, gignitur pestis vel ab aëre, modo propriæ substantiæ vitio languente, modo vt diximus, aliundè tetris halitibus conspurcato, vel ab Austrinâ caliginosâ, ac pluuiâ anni constitutione, quæ cor-

corpora multis excrementosis humoribus, iisque in putredinem pronis infarserit, vel etiam quandoque à siccitate nimià, per quam sanguis eiusque ichores in retorridam pestilentemque materiam exuruntur, quæ Carbunculorum Anthracumque origo esse possit. Crebrius porrò pestis suscitatur ab anni tempestatibus, statum suum ordinem ritè non obseruantibus, sed præpostero ordine sibi mutuo succedentibus, vndè humorum confusione facta hi ipsi non ritè purgantur aut ventilantur, qua occasione plurimus in venis noxiorum, ac in putredinem dispositorum humorum prouentus luxuriat.

SIMILITER ex fœdo corporis succo à prauis alimentis producto, ac tandem à contagione, quibus terrorem mœroremque tanquam causas cordis vires eximiè frangẽtes, ac adeò corpora ad suscipiendam luem apta reddentes meritò adscripseris. Et hęc quidem de causis, nunc quę signa venturam pestem portendant, videndum.

CAPVT IX.

Quibus notis ventura Pestis innotescat.

Syderum positiones & concursus.

PRIMVM igitur locum his qui Meteora tractant linquentes, infaustos hi syderum quorundam positus aut coitiones, nec non Solis Lunæq; Ecclypses præsertim grandiores, aut quæ vno eodemq; anno crebriores incidunt, pestem portendere dictitabunt, cum Astrorum influxus varii, pro ratione ac natura seu qualitate temperamenti, ab ipsorum fælici aut minus fausto concursu prodeuntis, subiectum aërem nunc in calorem, nunc in frigus, nunc in madorem, modo quoque in squalorem alterare valeant. His syderum posituris annumeranda sunt ea phęnomena, quæ varia specie nocturnis præsertim temporibus aëra occupare cernuntur, talia sunt corruscationes, scintillationes, chasmata, halones, trabes ignitæ, capræ saltantes, ignes fatui, & similia, quæ quidem omnia aërem crassis fuliginibus, & tetris copiosisque exhalationibus refertum esse monstrant, quæ postmodum exhalationes in media aëris regione succensæ flamment, ac talia pariant

Meteora.

spectacu-

ſpectacula: Sic antè cœptam peſtem Delphicam, ignem in plateas ac ſupra domos frequenter delabi viderunt vigiles & excubiarii. Inter hæc tamen Cometæ quàm maximè ſunt formidandi, quos Porphyrius tabem peſtemque hominibus inferre ſcriptum reliquit, idque eò magis ſi ad orientem vergant, vtpotè magnam in æthere craſſorum humorum factam eſſe congeriem deſignantes. Rectè de his Lucanus. *Cometæ.*

Ignota obſcuræ viderunt ſydera noctes,
Ardentemq́ polum flammis cœloq́ volantes
Obliquas per inane faces, crinemq́ timendi
Syderis, & terris mutantem regna Cometam.

His & conſimilibus ſignis Hippocratem venturam ab Illyriis peſtem & Græcos inuaſuram prædixiſſe ſcribit Plinius.

Propinqviora porrò peſtis ſigna ex ipſo ſumuntur aëre, vt cum is modo calet modo friget, cumque triſti caligine, aut denſâ diuq; perſeuerante ac fœtente nebulâ ſæpius contaminatur, tū vero ſi color aëris Icteritiæ ſimilis euaſerit, & Sol inter nebulas pulueru-lentus apparuerit, hyeme præſertim, quàm par eſt, tepidiore exiſtente. M. Attilio & C. Portio Coſſ. lactis & ſanguinis pluuiæ, Romanam gentem diram peſtem inuaſuram, nuntiarunt. *Lactis & ſanguinis pluuia.*

Aërem porrò corruptum & veneno vitiatum

Aëris corruptela quomodo cognoscatur.

tiatum esse ex hoc cognoscitur, si ouum pomumué aëri per noctem expositum, præter morem putrescat, aut si panis è clibano recens extractus, & adhuc calens lanceę oblongæ affixus ac in sublime erectus, per noctemque sub dio sic relictus quasi putredinem iam hauserit, mucidus marcidusq; euadat, quem gallinis postmodum aut canibus obiectum hi non degustent, vel ab eius esu ægritudinem aut mortem incurrant, aut si auiculæ in aëre degentes decidant ac pereant.

AERIS hac corruptione perceptâ aues nonnullæ relictis nidis demigrant, & in salubriores sese regiones conferunt, quod de passerculis sibi vulgus persuasum habere solet, maiore verò tunc sui turbâ aduentare creduntur corui, milui, coturnices, ac aliæ infaustæ vocatæ aues ex rapiná victum quærentes, inter quas Saturninæ volucres, bubones nimirum capillati ac nicticoraces merito connumerandi. Vndè Ouid. 8. Metamorph.

Ignauus bubo dirum mortalibus omen.

Et Virgilius.

— —*ferali carmine bubo.*

Insectorũ copia.

Ad hæc serpentes, angues, lupi, canes &c. in rabiem quasi quandam acti, ferocius in homines & bruta animalia sæuire videntur. Insectorum quoque & ex putredine genito-

rum

rum animalium magna persæpè caterua solum occupat, & varia forsan quoque & insueta culicum & muscarum genera conspiciuntur, sic locustarum infinitam propemodum multitudinem Anno Christi seruatoris nostri 864. Galliam & Anno. 1478. Italiam inuasisse, ac omnia ferè germina depopulatā esse è veterum notis excerpsimus, quas etiam numeroso quondā exercitu Germaniam intrasse accepimus: hæ igitur vbi regionem in qua vel natæ sunt, vel in quam auolarunt, longè latæque depastæ sunt, illìc sæpè commoriuntur, quarum putredo & fœtor ingentem in aëre corruptionem producit. Vndè non præsagii tantum, sed & causæ pestilentis rationem obtinent, cum non solum magnam putredinem ex qua natæ sunt præcessisse demonstrent, sed eandem etiam nouam faciant ac recentent. Sic Orosius Obsequens, Eutropius, Liuius & D. August. 3. de ciuitate DEI, prodigosam in Africa iam dictarum locustarum progeniē extitisse memorarunt, quâ ingenti quasi nube in mare deiectâ & emortuâ, rursusq; in littus reiectâ, tāta exindè corrupto aëre pestis exorta sit, vt in solo Masinissæ regno, octingenta hominū millia perierint, quæ etiam terras proximas adeò affecerit, vt Vticæ ex triginta millibus virorum ibidem existentium, decem tantum remanserint. *Locustæ.*

rint. Sic papillionum turmatîm ſimul innumerabili copia volitantium Anno 1551. Alcmariæ tantam ſpectatam cateruam refert Foreſtus, vt denſiſſimam nubem repręſentarint. Sæpè quæ in terræ viſceribus animalia vel degunt, vel deliteſcunt (idq́ue forſan ſi teter terræ halitus peſtis cauſa eſt futurus) errabūda proſiliunt. Crebrò etiā minorum pecudū quæ proniore ſunt capite magna clades antecedit, ex qua plebs venturū ſibi morbū auguratur: quod & ſigni & cauſæ rationē habere quandoq; poteſt, cum laniones inter mactatorū animaliū carnes, eas quandoq; ſcelerato auſu diuendunt, quas à morbo aut vitio maligno peremptis pecudibus deſumpsêre. Reptilium hāc ex cauernis & antris ſuis fugā, quin etiā animantiū prægreſſam ſtragē, cum tam appoſitè deſcribat Ouid. 7. Metamorph. locū eius huc inſerere nō iniucundū modò, ſed etiā oportunum duximus, ſic autē canit.

Milliaq; incultos ſerpentum multa per agros
Erraſſe, atq; ſuis fluuios temeraſſe venenis
Strage canûm primò volucrūq; ouiumq́; boūq;,
Inq; feris ſubiti deprenſa potentia morbi eſt.
Concidere infœlix validos miratur arator
Inter opus tauros, medioq́; recumbere ſulco,
Lanigeris gregibus balatus dantibus ægros
Spontè ſua lanæq́; cadunt & corpora tabent.
Acer equus quondam magnæq; in puluere famæ

Degene-

Degenerat, palmæ, veterumq́ꝫ oblitus honorũ,
Ad præsepe gemit morbo moriturus inerti.
Non aper irasci meminit, nec fidere cursu
Cerua, nec armentis incurrere fortibus vrsi.

Si vitium ex aqua pendet cygni præcognita noxâ eam refugiunt, ac fontes anteà limpidi, & clari turbantur, & cœnosi euadunt ac lutulenti, ranæq́ue crebræ in paludum ac stagnorum reptant marginibus & ripis, quæ etiam mortuæ sæpius aquis innatare conspiciuntur, quod si horum magna copia æstatis tempore post pluuias in tergo cineritii, in ventre verò lutei aut diuersi coloris apparuerit, pestem venturam præsagire solent, quam etiam Aristoteles per abundantiam rubetarum præsignificari docuit. Ranarum itidem linguas nigris maculis signatas pestem designare Aureolus Paracelsus prodidit lib. de pestil. à quo & hoc dogma fluxisse videtur, (si tamen rectè meminimus), natis in Hederę terrestris foliis, nigris quibusdam (seminis milii magnitudine) tuberculis, pestilentiam denotari. *Ranarum multitudo.*

Qvibvsdam locis inundationes mali huius sunt nunciæ, signi pariter ac causæ notam ferentes, etenim insolentes aquarum excursus multas secum sordes deuehunt, quæ vndis in debitum ac consuetum alueum sese rursus recipientibus, hinc indè in pratis aut *Inundationes.*

agris,

agris, vel extra littus relictæ, aërem tetro vapore contaminant. Sic postquam Tiberis Romæ quondã accreuisset, sedatâ inundatione pestis est subsecuta, relictis in sicco littore animalium cadaueribus.

Abortus crebri.

CREBROS quoque abortus, quibus leuis occasio ansam dedisse videtur, pestem portendisse obseruatum est, quod ipsum Venetiis contigisse Alexander Benedictus Veronensis in libello de peste memorat.

Pueri colludentes pestem lusu prædixerunt.

ADMIRATIONE porro digna res est (si tamen multum ei fidei tribuendum) puerulos vnà ludentes & vespillonum more scrobes ac sepulchra fodientes, ac feretra deportantes, quasi genio id eos docente, venturam pestem suo hoc lusu prædixisse, etenim Gallus Tridentinus in fasciculo de peste ait. *Pueri ab intelligentia non errante ducti presbyterorum more cantant, alios viuos pueros sepelire simulant, hanc vniuersam animantibus perniciem futuram præsagientes.*

Austri.

INSIGNES porrò venturorum morborum malignorum notæ sunt Austri diu perseuerantes, aut constitutio anni calida & humida longo tractu producta, quin etiam ver pluuiosum & Australe, quam æstas excipit feruida, tum etiam anni tempora intempestiuè ac præpostero ordine sibi succedentia. Prodromi quoque ac præcarsores pestis sunt

variolæ,

variolæ, morbilli, Anthraces, & Carbunculi hinc indè grassantes, & febres malignæ aut Dysenteriȩ quandoque & Pleuritides ac Anginæ, vel morbi alii difficilis ac infidi iudicii passim in populum sæuientes, ab interna præsertim putredine oriundi. Signa hæc omnia Gabriel Ayala strictis metris sic facundè expressit.

Variola & morbilli.

Pestiferum esse annũ iurant Ecthimata bubo,
Exanthema, Anthrax, sanguineusq; fluor.
Praproperi partus, cholera, febresq; vagantes:
ET.
Fumantes per inane faces, fulgetra, Cometa,
Flãmigeraq; trabes tunc quoq; signa dabunt.
Caligoq; frequens densa, indiscussa sinistri
Augurii est: pluuius lethifer annus erit.
Ver sitiens, humecta æstas, hyemesq; tepentes,
Flatusq; Austrini semina mortis alunt.
Eruca, musca, culices, viridesq; locusta,
Ranaq; & bruchi, reptiliumq; globi.
Idq; genus sexcenta alia ex putredine nata,
Vah quanta stragis nuncia signa ferunt?
Admoneo tactas eadem prædicere quercus
Aëre aues lapsas funera crebra gregis.
Funera crebra hominũ, occisosq; in littore pisces,
Palantes mures hydrophobosq; canes.
Exundansq; fretum, desiccatasq; paludes,
Limososq; lacus, veliuolosq; sinus,

Gabriel Ayala in metris.

Desertosq́ fuga nidos terramq́ trementem,
Perculsamq́ metu, visaq́ monstra palam.
Corruptamq́ situ Cererem annonamq́ negatã,
Corruptosq́ cibos, quaq́ bibuntur aquas.

Vt autem anni salubris ac temperaturam suam debitè obseruantis, naturam, statum, ac conditionẽ ritè noscas, is sic habeat oportet.

Anni salubris descriptio.

Vere primo ab Aquarii dimidio vsque ad Arietis principium Zephyri hyemis frigiditatem nonnihil corrigant, terramq́; & corpora molliendo succos moueant, his Austri succedant molles, corporis humores eliquantes, qui quidem venti in Zephyros mox rursus conuersi ad Vergiliarum ortum vsq; perdurent, sitque his flatibus medius Martius, & Aprilis totus cum magna parte Maij temperatus. In Virgiliarum porrò ortu Subsolani adueniant, vsq; ad caniculam aëra peruadentes, sub quibus calor & siccitas nonnihil augeatur & increscat, dum sub cane magnus ardor & æstus orbem teneat. Exortum porrò huius ex Plinii mente Aquilones præcedant πρόδρομοι, indè verò ad calorem eius temperandum per quadraginta vel sexaginta dies spirent Etesiæ, qui subindè quoque aliis anni temporibus aërem percurrunt, vndè & Aquilones aniuersarii dici meruerunt, molles sanè ac blandi, quos proindè veteres, delicatos nominare sunt soliti, quibus fretus Hippoc, ad

poc. ad grauissimorum morborum curationem alacrius audaciusq; accessit, vtpote quorum salutari aura morbi verno tempore & æstatis initio geniti soluantur, ac pestilens & Austrina si præcesserit constitutio emendetur: has tamen quasdam pluuias subindè rigare conuenit. Post canem circa Arcturi ortum ac medium Septembrem versus, pluuiæ descendant, quas circa Octobris initia serenitas excipiat. Tunc temporis occidui venti Cauri vocati inuolent, qui temporis mutationem faciant, quos hyemi dicati Aquilones excipiant. Sit igitur ver calidum & humidum, æstas sicca & calida, autumnus in diei diluculo algidus, in meridie calens, sub vesperam frigens, ac hyems frigida & sicca intermixtis nonnullis humiditatibus. Caueat vero natura semper necesse est, ne serenitatum & pluuiarum, quin & æstus ac frigoris subita ac repentina fiat mutatio. Quod si talis annus extiterit in quo iam dictæ tempestates sese mutuo ac ritè exceperint, & per interualla serenitatum ac pluuiarum tempestiuæ mutationes acciderint, annus is sanus erit non nisi constantes boniq́ue iudicii morbos vt plurimum producturus.

FVTVRAM igitur seu venturã Pestẽ aëris cum mutatus color, tum fœdus portendit odor, ac insuper Austrina seu vda, pluuiosaq́ue

anni constitutio, quin maximè temporum anni peruersio ac præposterus ordo, Eclypses, Meteora, morbi maligni, & ex putredine nati, similiter & insectorum ex putrilagine prodeuntium copiosior prouentus, animalium magna strages, inundationes & alia eiusmodi, quæ generatìm magis quem speciatìm ne prolixiores essemus, recensere libuit, sua quæque occasione futura manifestiora.

CAPVT X.

Quænam corpora pesti suscipiendæ sint magis vel minus oportuna.

MAGNA hìc distinctione opus esse arbitramur, cum & causarum diuersitas, & inuasionis modus, ac subiectorum insuper dispositio, tantò sint discrimine ab inuicem seiuncta.

ETENIM si vitium ab aëre pendet, raro corporis habitu præditi, porosque laxos ac apertos habentes, quique ob cordis caliditatem multa spiritus attractione opus habent, ad pestem suscipiendam sunt paratiores, secus verò si à fœdis corporis succis intra venas & vasa

& vasa putrefactis pestis fuerit exorta, tunc enim in his materia peccans facilè difflata ventilabitur, quæ in crassum ac strictum habitum obtinentibus intus quasi foco contenta ob prohibitum transpiratum adauctâ putredine, in maiorem malignitatem abit.

Corpora autem humida ac succi plena, & in quibus venæ sunt angustiores & interceptui promptæ, quin & ea in quibus ob cutis densitatem excrementa nõ transpirant, de facili hac lue polluuntur, vndè mulieres sæpè quoque & grauidas ac puerperas crebrius pestis inuadit. Vndè Dionysius Halicarnass. lib. 4. Hist. Roman. solûm quadam peste Virgines & prægnantes correptas esse narrat: cum enim corpora earundem copioso calore circumfluant, & excrementitiis succis aut plenitudine vt plurimum pressa existant, fit vt facillimè hac contagionis flamma succendantur. Oportuni quoque huic malo sunt infantes ac pueruli, vtpotè qui tenellum corporis statum cum obtineant, leui occasione polluuntur, tum etiam quia hi, vt notat Rhases 5. ad Almansor. ob crebram respirationem multum aërem attrahunt, cum quo & fœda contagionis hauriunt semina, tandem quoque quia hi inordinatâ victus ratione vtuntur, ac plurimo cibo replentur: quo nomine carniũ aut fructuum fugaciũ vorato-

Corpora humida.

Fœmineus sexus Pesti est obnoxius.

Infantes & pueruli.

ribus infensa hæc præ reliquis lues esse solet.

Pauperes ac egestate pressi.

SVNT autem huic morbo capessendo quàm maximè multas ob causas habiles ac oportuni pauperes ac egestate circumuenti vtpotè ob alimenti penuriam infirmi, ac ob ciborum noxiorum, vel minus salubrium esum, cacohymiâ imbecilles semper vires præsupponente grauari, quibus languidum corporis robur hostilis veneni insultus vel non expellit, vel non subitò dissipat: Sed & hi in sordibus, & immunditia degunt. Vndè,

Pauper vbiq; gemit sub iniquo pondere rerum,
Victimaq; ante alios pestis amara tua est.

DIVITES tamen æquè ac pauperes, si aër in vitio est, peste corripiuntur, cum quem aërem inspirat egenus, eundem diues cogatur attrahere, nisi quod hic ob salubriorem ac opulentiorem, seu liberaliorem victum, maiore virium firmitudine gaudet.

Intemperantes & Luxuriosi.

CRAPVLONES insuper ac comedones, cruditatibus haud vnquam vacantes, quin etiam luxuriosi, ac multa Venere corpus languidum reddentes, minus quam alij ab hac infectione tuti existunt, nec non & eæ personæ, quibus consuetarum euacuationum per sudores, hæmorrhoidas, vomitus, menstrua, fonticulos, cauteria, aut consimiles vias noxios deponendi humores, consuetudo intermittitur. Ieiuni quoque cum plus intra se va-

Ieiuni.

cuo

suo corpore hauriant, quàm emittant, pesti plus magis expositi videntur. Vndè etiam hi qui corde calidiore præditi sunt ob auctam respirandi necessitatem, pesti magis sunt obnoxii. Meticulosi, formidolosi, ac terroribus de facili perculsi, id quod supra modum periculum metuunt, leui occasione incurrunt, cor enim eorum multo metu languet, & terroris fatigatione consternatum vires haud possidet, per quas veneno aduentanti resistat. Vndè & Thucydides metu anxios præ reliquis periisse memorat. *Meticulosi.*

MORBI etiam huius pericula nonnunquam tenent consanguineos analogiâ quadam infectionem forsan in sanguine æqualis progeniei propagantia. Tandemq́ue mirum non est, si qui his ægris cohabitant, adstant, vel his ipsis inseruiunt Clinici, Chyrurgi, Mediciq́ue interdum consimili labe polluantur etenim vt Ouidius ait: 7. Metamorph. *Cōsanguinei.* *Clinici.*

—— ——inq́; suos sæua medentes
Erumpit clades, obsuntq́; auctoribus artes,
Quò proprior quisq; est, seruitq́; fidelius ægro
In partem lethi citius venit atq; salutis
Spes abiit, finemq́; vident in funere morbi.

IMMVNES magis à peste sunt Arthritici, Podagriciq́ue in quibus nobiliora viscera labem omnem confestìm in partes ignobiles eructant, & hi quibus per diuturna in corpo- *Quinam à Peste magis sint immunes.*

re vlcera praui humores veluti in ſentinam deducti continuo effluunt, aut quibus ſimiles ichores per conſueta cauteria deriuare natura didicit, ac quos hæmorrhoidum ſtatus fluxus conſueto tempore cum virium tolerantia ritè expurgat. Virgines nubiles peſte correptæ difficulter euadunt, an quia ſpirituoſum ſemen in motu cum ſit facile ſuccenditur, an verò quia intrò detentum facilè corrumpitur, & in veneni perniciem abit. Vndè Iacob. de Partib. Comment. ſuper primam quarti, experientia ſibi notum affirmat, venenum tempore peſtis in virginibus genitum, irremediabile quodammodo exiſtere, cui Hieron. Mercurial. Lect. de Peſtil. ſubſcripſiſſe meminimus. Hoc autem præ cæteris mirum videri poteſt, robuſtiſſimos quoſq; peſte correptos quandoq; interire, id quod in peſte hoc anno apud nos graſſante notatũ fuit, cuius rei cauſam hanc eſſe arbitror, corpora talia non quidem tam facilè vt imbecillia, hac labe corripi, correpta autem, cum pleno plerumq; habitu gaudeant, ac ſuccis abundent, ſuccenſum in his venenum ſubminiſtrato huic copioſo fomite diutius pertinaciusque alere, vndè & id in ipſis euadit validius. Quod ſi Hippoc. corpora impura, quò magis aluntur, eò magis lædi monuit, quis non corpora hæc humorum abundantiâ gaudentia, quò plenio-

pleniora fuerint, eò magis affici æstimabit? Quod si igitur impura corpora, quò plus nutricationis habent, eò plus offendi certum est, infecta corpora quò pleniora fuerint, eò periculosius necessariò laborabunt. Sic ventus quandoque proceram vastamque quercum deiicit integra manente arundine, quæ huic cedendo, seseque in varias partes hinc indè inclinando, violenti flatus declinat impetum.

Plena corpora periculosè plerunque in Peste laborant.

DENIQVE & hi, qui peste tentati cum essent, vbi periculum euaserunt, contagium non facile in vna eademque peste, secundò hauriunt, quod forsan materia, quæ pestis focus esse queat, tota iam sit absumpta, & quod cor illorum triumphum iam canat, nec hostiles insultus secunda vice metuat, sed veluti his pugnis iam assuetum crudelis morbi minas dispiciat. Est sanè hoc penitus ferè nobis persuasum quod etiam experientia ac obseruatione didicimus, vndè pro Nosocomii famulis eos præ cæteris delegimus, qui pulsa affectione iam modo conualuissent, huc allusit Poëta inquiens.

Pestis eadē eundem vix bis corripit.

Quos semel inuadat Pestis repetatq; secundò
Raros esse quidem, sed tamen esse scio.

Obseruasse hoc quoque visus est Thucydides cum ait, *Neque enim bis eundem morbus corripiebat ita vt extingueret.* *Atque hi*

tum ac aliis beati censebantur tum sua ipsi sponte ob suæ sospitatis lætitiam spem inposterum præsumebant se nè ab alio quidem morbo vnquam absumptum iri.

Tandem quoque senes & decrepitos ob siccam forsan, & frigidam temperaturam, à peste præ reliquis securos esse fuit creditum, cum quod in victu hi sese probè gubernare norint, sibique benè præ reliquis prospiciant, tum etiam quia frigido & sicco temperamento præditi paucum ac rarum spiritum attrahunt. Dei omnipotentis clementia nos ab hac lue æternûm reddat immunes.

CAPVT. XI.

De signis Prognosticis salutem aut interitum ægri denuntiantibus.

Acutorum morborum incertas omninò salutis aut mortis prædictiones esse doctissimus Hippoc. noster iam dudum monuit, quod quidem cum & suo, & aliorum illustrium Medicorum iudicio ac obseruatione verum esse compertum sit, quis de pestilentibus certi aliquid pronunciare audebit? Cum hi salutem in fronte,

In Pestilētibus mor-

fronte, in occipitio funus gerant, adeò vt plenum spei ac promissionis Medicum sæpè deludant, quomodo eos qui sani iam ferè putabantur subitâ quasi reciduâ perculsos, derepentè in peius actos, ac qui morti vicini videbantur ex inopinatò tanquam vi ereptos præter ferè spem conualuisse obseruatum fuit.

bis incerta planè est futurorum euentuum coniectura.

MEDICI prudentiam, auctoritatem, scientiamque in ferendo de morbis iudicio, depromendaque salutis aut mortis sententia plurimum spectari nouimus, quin & vulgus sollicita ac curiosa quandoque indagine pulsum, ac iam dictæ sententiæ expectatione supra modum turgens, vna sępè Prognosis prolatione doctrinam nostram pendet & examinat. Vndè forsan impulsus Hippocrates tot fida scripsit præsagiorum indicia quibus à Veterum & propria obseruatione fluente stabilimento, certa quodammodo fides adhiberi queat. Atqui vt suos à calumnia sequaces vindicaret, ne quid temerè forsan boni promittendo, vel mali augurando, infamiam ac non cogniti morbi notam incurrant, eosdem vel in acutis nedum, pestilentibus morbis subitaneum iudicium ferre noluit. Atroces hi sunt Medici, qui viso morbo periculoso vel dempta spe ac subtracto animo meticulosi, vel proximi charitatē nihili pensitantes,

tes, multa se dixisse reputant, si necem in propinquo esse pronuncient, quibus viui quandoque obloquuntur ij, quos hi morituros dudum sua opinione confisi prædixerant. Hæc ideò admonemus, ne (hoc præsertim in morbo) temerè quid vel prædicere, vel polliceri tutum esse doceamus.

Pestis nulla vel vix vlla salutis vel mortis fida signa possidet.

CVM itaque pestis acutis morbis longè quandoque existere videatur acutior, incertas omnino sui notas præbet, cumque ea vt plurimum aëris vitio, vel præpostera tempestate sit oriunda, ipsius iam dicti Hippoc. decreto multa longaque posteritatis obseruatione certificato, iam dudum inter difficilis ac incerti iudicii ægritudines tacitè haud immeritò est reposita. Etenim 3. Aph. 8. sic ait.

Certis temporibus & suam tempestiuitatem seruantibus, certi & tempestiui ac iudicatu faciles morbi fiunt. Incertis autem & alienis incertæ quoq; ægrotationes fiunt, & ad iudicandum difficiles. Vocat autem Hippoc. certos ac tempestiuos morbos eos, qui sua sese natura habentes, suisque quasi limitibus coërciti, inoffenso cursu æquabiliter suam absoluunt historiam, nec malo more, nec occulto veneno, nec malignâ qualitate, aut symptomatica translatione, aut in alium morbum degeneratione factâ formidabiles, qui & calamitoso-

lamitoſorum ſæuorumque accidentium vi non ſunt interrupti, & laudabiles criſes habent, ac decretoriis diebus ritè iudicantur. Incerti verò morbi ac intempeſtiui hi ſunt, qui inuaſionis celeritate, ſymptomatum vi ac copiâ, nec non malignitate & criſeos incertitudine ac infidelitate à materiâ indomitâ & pepaſmi experte, ac propriæ ſubſtantiæ ratione vitioſâ dependente, ægri vitam fraudulenter premunt, ac vbi vel naturæ (poſt DEVM) beneficio, vel artis ope pulſi decedunt, vel recidiuæ alicuius metum inferunt, vel in alias ægritudines degenerant, quaſi ſuæ malitiei quoddam ſtigma in corpore afflicto relictum voluerint, per quod perditionis ſuæ triſtis extet memoria, ſic nonnulli alterutro oculo orbati, alii hoc vel illo valetudinis damno preſſi, etiamſi emergant viui, non tamen ſemper emergunt integri. Hinc contingit vt hic euadat monocolus, alter claudus, hic cœcus, alter voce priuatus, hic ſurdaſter, ille obliuioſus, conuulſus alius, alius artuum languore perculſus quod notans Poëta ſic cecinit,

Morbi certi & incerti iudicii quinam ſint.

Peſtis ſtigmata quædam poſt ſe perſæpè relinquit vel relicto poſt ſe alio morbo decedit.

— —in neruos huic morbus & artus
Ibat. Et poſtea
———neruos & membra coarctans
Diſſoluebat eos defeſſos antè fatigans
In manibus verò nerui trahere & tremere artus.

REFERT

Refert Thucydides propinquorum notitiam & rerum gestarum recordationem illis excidisse, vnde sibi ipsis peregrini & incogniti quodammodo sint habiti, vndè Poeta.

Atq; etiam quosdam cœpêre obliuia rerum.
Cunctarum neq; se possent cognoscere vt ipsi.

IMPRIMIS autem virium robur diligenter perpendendum ac quantus à naturali statu lapsus factus sit studiosè pensitandum, videturque hîc omnis obtinendæ salutis spes à virium robore dependere. Quod si æger morigerus ac obsequens fuerit, & ritè ex artis præscripto adhibitis medicamentis vsus, nihil tamen vel parum senserit subleuaminis magnam morbi maligni vim subesse iudicandum, mentem porrò ægri integram non esse sibique haud constare graue est, prout cum corporis pars aliqua dolet ægro dolorem eum non sentiente. Aspera quoque in benigno alioquin homine per morbum responsio non vsquequaque videtur tuta, prout multus sermo, vel inconsueta alias taciturnitas, hoc enim soporis illud delirationis periculum portendit. Sine magno porrò metu non est mentem falsis imaginibus ac spectris turbari, præsertim si æger floccos carpat, aut festucas colligat, vel aliter digitis gestiat, grauius autem est si amisso iudicio domesticos, familiares ac necessarios decumbens non agnoscat,

agnoſcat, grauiſſimum ſi æger iam non videt amplius, vel non audit, vel audita non intelligit, nec ſpontè mouetur, extremis præſertim liuore fœdis ac frigore algentibus. Malum etiam eſt, ſi ſomnus morbi leuamen non adfert, ſed eundem quodammodo exaſperat, de quo Hippoc. loquitur cum ait, *in quo morbo ſomnus laborem adfert malum*, quod ſi is quoque omninò abfuerit, ægri vires vigiliis conſumi neceſſum erit, aut ſi ſuperfluus, ac iuſto profundior, Comatodes ac periculo haud vacans cenſeri debebit, plurimum porrò aſpernandus ſomnus is, qui alto ſopore ægrum premit, debili interim pulſu, ac extremis frigidis exiſtentibus, idque potiſſimum ſi delirium hunc comitatum fuerit. Inſomnia turbulenta trucis quoque morbi ſunt indicia. Vultus à naturali non longè diſtans, vel parùm mutatus, oculique recti in tanto malo metum morbi minuunt, cadauero ſa verò facies (morbi vi talis effecta, non autem efficienem inanitionem aliquam ſecuta) quam collapſa efficiant tempora, & oculi concaui, ac nares acutæ, nec non palpebrarum labiorumque pallor, & cutis circa frontem durities ac tenſio certæ mortis eſt index, aliis maximè ſignis malum inſimul coindicantibus. Conſimilem faciem depingit Hippoc. 1. Progn oſt. quæ ſic à Poëta deſcribitur.

Salutis aut mortis varia indicia.

Triſte

Triste supercilium furiosus vultus & acer
Compressæ nares, nasi primoris acumen
Tenue, cauati oculi, caua tempora frigida pellis,
Duraq; in ore iacens rectũ frons tenta meabat.

PRÆCORDIA vtrinque rectè habentia nullo dolore afflicta, non dura, inflammata aut intenta bonum omen præbent, malum verò, si hæc ipsa prætumefacta, aut multo venarum pulsu, aut dolore inquietata fuerint. Æger in alterutrum latus non facilè recubans, & hiante ore, expansis manibus, abiectis cruribus, aut pronâ decumbens facie, extra periculum non est, quod si pedes absque ingentis caloris molestia denudarit, magnam afflictionem subesse existimandum erit, prout periculo non vacat, si æger à naribus nescio quid, sæpius auellere, aut à proximis parietibus surculos captare cernitur.

CORPVS item modo calere, frigere modo, modo hoc, modo illo colore tinctum videri, aut breuissimo temporis spatio grauiter emarcescere bonum non est, periculosum verò valdè, si spiritus intercisè, difficulter aut inæqualiter attrahitur, spiratioque si alta, crebra & difficilis editur. Pulsus reciprocus, formicans & intermittens, aut tremulus syncopis ac extremi languoris index existit. Vrinæ virides, liuidæ, nigræ pereuntis caloris natiui sunt nunciæ, oleaceæ corpus liquescere por-

re portendunt. Sudores frigidi, fœtidi ac circa frontem solûm aut pectus emergentes periculo non vacant. Valdè porrò malum, pulsu concidente, ac viribus iam iam exolutis, frontem lento, pauco, tenacique sudore madescere.

Atqve hæc quidem præsagia pesti cum aliis morbis acutis communia sunt, habet autem ea peculiares præter hæc notas ægri salutem aut interitum præsignificantes, inter quas lethales planè sunt ac certæ mortis indices, bubones subito euanescentes, ac facta palindrome intrò sese confestim recipientes, venenum enim tunc vitæ fontem inficit. *Lethaliæ Pestis signa.*

Iecoris item inflammatio, Pleuritis, Angina & Phrenitis pesti sese consociantes plus magis lethiferæ existunt, prout & si ægrum syntexis aut colliquans alui fluxus, Diarrhæa, Lienteria, aut Dysenteria corripuerit, plurimi enim fusâ aluo pereunt. Quibus sursum vomitu nigra feruntur, magno laborant periculo, nec non quibus vrina supprimitur, mors enim his videtur esse vicina, prout & iis, qui ineunte morbo sanguinem è naribus, vesica, vtero, aut ore profundunt. Sic mulieres peste correptas, quibus menses extra statum tempus fluerent, prognosticis ferè linquendas censuimus, hæmorrhagiam autem narium quinta die passos obiisse nota-

uis Heurnius. Reuera quicunque tandem fit sanguinis fluor, in peste mihi semper suspectus est habitus, de quo tamen aliis in morbis sæpè gratulari licuit, hîc enim, sanguis vel frustaneo naturæ conatu, vel fracta vi retentrice, vel acrimoniâ, aut ardore insigni feruefactus, erosis vel disruptis propriis conceptaculis non sine magna virium internecione promanat. Vndè Poëta,

Atque etiam multus capitis cum sæpè dolore,
Corruptus sanguis expletis naribus ibat,
Hinc hominis vires totæ corpusq; fluebat.

CONTINVVS sopor mortem protendit, prout & venter subtumefactus accedente præsertim mentis errore ac delirio, sic quibus corpus cæruleo colore tingitur, fusæ per vniuersum veneni vi decedunt, tales qui magno simul accedente dolore ex purpureo quasi atrescerent, defunctos nouimus, partibus non aliter quàm serpente Gangręna (vulgo Kaltenbrandt) fœdis, vndè periculū quoque haud paruum minantur aurium papillæ aut extremitates prunorum syluestrium maturorum colorem habentes, & ex rubore in nigredinem abeuntes.

ARTVVM tremor cum mentis alienatione, suspiriis, cordis palpitatione ac lipothymiâ funestus ferè est, malum verò quarumcunque egestionum fœtor insolitus, prout & anheli-

anhelitus, magna ac abominabilis graueolentia, imminentis ſcilicet mortis nuncia, putredinem enim in corde iam confirmatam aut pulmonis pectoriſuè vaſa computruiſſe denotat.

CARBVNCVLI cordi vicini peſſimi ſunt, ſemper autem mali euentus nuncii ſunt, ſi minutuli aut nigri vel virides fuerint, aut ſi pus non ediderint, ſed aperti ſpumæ quid ſimile emiſerint, ac adiacens pars ſicca euaſerit aut liuida, aut ſi duri extiterint & abſque ſuppuratione ſubſederint. *Carbunculi quinam ſint magis lethales.*

FVNESTI autem ſunt maximè qui gutturis, ventriculi, aut pectoris regionem vel fauces obſident, prout & bubones ponè aures ob animalis facultatis organi viciniam periculoſiores exiſtunt.

MIRVM porrò hoc eſt, quod cum plures carbunculi paucioribus ſint magis funeſti, è contra plures bubones paucioribus magis ſalutares à nonnullis exiſtimentur, præſertim ſi durante adhuc robore virium in partem capacem longè à corde remotam excluſi fuerint, ac ſi febris indè remiſerit & ſymptomata mitius ægrum habere cœperint, ſique coctionem & pepaſmum admiſerint ſudoribus interim toto corpore laudabiliter fluentibus. Admonendum tamē, ſudores vrinaſque non naturæ fauſto ac fælici impulſu,

ſed ſymptomaticâ morbi ac colliquationis internæ vi copioſiùs interdum fundi, de quibus virium robur aut morbi leuamen ſuum ferent teſtimonium.

Vrina aquoſa.

PESSIMVM porrò eſt lotium aquoſum, crudum ac tenue omni ſedimento carens, vtpotè quod morbum capiti vicinum fore aut bilẽ vel humorem morbificũ precipiti raptu in cerebrum translatum eſſe deſignet, ex quo Phrenitides & alia mala ſint metuenda. Malum quoque augurium innuit vrina acris & olida, cui præſertim pinguedo innatauerit, vehementem enim putredinem, immenſum calorem, & æſtum colliquantem ſubeſſe iudicat.

Peſtis non ſecundum dies decretorios decurrit.

PVSTVLÆ nigræ, liuidæ, cæruleæ, ſubſidentes ac intrò remeantes aut laſſitudinem adferentes non periculoſæ modo, ſed lethales eſſe ſolent prout & exanthemata à circumferentia ad centrum recedentia. Breuem autem omninò hic morbus periodum obtinet, nec aliorum more ſecundum dies iudiciarios ritè decurrit, vndè nec certa incrementi, ſtatus, ac declinationis tempora obſeruat, non diebus ſed materiæ motu, modo velociore, modo tardiore menſurandus, plerumque tamen quartum, ſeptimum aut octauum, diem attingit, quos ſi æger ſuperârit ferè eua-

rè euadit, atque hunc morbi terminum nouisse videtur Poëta sic inquiens,

Octauoq́ꝫ ferè candenti lumine solis,
Aut etiam nonâ reddebant lampade vitam.

MITIORIS morbi auguria sunt mens sibi constans nullisque deliriis interrupta, apetitus rectè habens, firmitudo ventriculi cibos amplexans, & Antidota retinens, virtus firma, largo sudore papulas, exanthemata, bubones aut anthraces excludens illicò, quæ omnia quamprimum prorumpere bono est. Lenis spiratio, cor liberum, calor colorque corporis æqualis, lingua humecta, somnus suis interstitiis ritè distinctus, laudabilia existunt. Erisypelas partem inuadens ignobilem & putrediné malignam eructans, principes partes à veneni pernicie liberat. *Salutaria Pestis signa.*

MIROR cum tot huius morbi mala prodiderim auguria, me in bonis ac salutem pollicentibus indiciis proferendis tam inopem existere: at verò non miror cum inter omnes morbos hunc ipsum fallacibus notis Medicos persæpè ludentem, & ægros insuper vanâ spe lactantem, ideoque occultâ fraude insidiosum ac inter omnes maximè subdolum considero. Certè Pesti prout ex Ruffo Paulus Ægineta refert, omnia grauissima superueniunt, vndè Lucretius,

Omnia tum verò vitâi claustra lababant.

Hoc vnum moneo, non esse vnquam hic bonis fidendum indiciis sed ea pro Crocodyli lacrymis habenda esse, nec tamen ijs signis, quæ mala videntur terreri oportere, cum qui alijs infidus semper esse solet vel esse conatur morbus, sibi ipsi ob insignem quam possidet malitiam, quandoq; haud fidelis existat. Hoc vnum boni possidet, quod eâ regnante alii morbi cessent, & quod homines non diu torqueat, sed vel in necem citò agat, vel citæ salutis (licet nō nisi magno prius periculo obito adipiscendæ) spem præbeat, licet non raiò plenam eius integritatem præpediat vel interrumpat, vt quos vitâ orbare non potuit, saltem parte corporis aliqua mutilet, aut per translationem symptomaticam, degenerem morbum procreans ægros non absque inflicto labis terræ stigmate aut næuo liberos sinat decedere, vera vt apparet Medicomastix.

Regnante Peste alii morbi cessant.

VERVNTAMEN in signis his prognosticis omnibus ad pestem spectantibus ob symptomatum vnâ congerie simul inuolantium cateruam magna est obscuritas, & quia morbus de natura suâ infidus existit, ideò fida de se mortis aut salutis signa non perhibet, vndè apparentibus salubribus alioquìn indiciis, quæ tamen omnia hoc in morbo suspecta sunt, ægros interdum perire deprehendimus,

hendimus,& quos morbus inducta ſæuorum accidentium turbâ iugulare velle videbatur, vitalis virtus (cum ſymptomata grauiter tumultuarentur, ac vnum quodã modo in aliud aduerſa pugnaret acie) quaſi clam ſubterfugiens, hoſtiles perſæpè manus euaſit, morbo modo Medicos, modo ægros hoc affectos & infectos, modo ſeſe ipſum ludente, non aliter ac ſi è ruſticorum tumultuantium ſympoſio inter medios ipſorũ enſes & conflictus clâm ſe quiſpiam ſubtraxiſſet.

Sæpè ſub multitudine grauiſſimorum ſymptomatum æger euadit.

CAPVT XII.

Quæ ſit cauſa cur inter eos qui peſte affecti ſunt, maior pars intereat?

NVMEROSAM ciuium cladem ac funerum multitudinem conſideranti, admirationi quandoque fuit quì fieret, vt cum ex aliis morbis etiam periculoſiſſimis tam multi emergerent, ex hac fœda lue (ſuo tamen reſpectu) vix pauci ſupereſſent. Huius autem rei conditionem cum perquirerem, non vnam populoſæ necis, imò complures ac mutuo ſibi nexu arctè complicatas,

easque validas & magnæ energiæ causas reperi, quarum quælibet seorsim considerata, tanti ac tam præcipitis mali ansa & occasio esse queat.

Morbi magnitudo.

INTER has igitur primo loco sese offert morbi ipsius magnitudo, cui par quandoque vix est remedium, quod quidem etsi prostet, metuendum tamen fiet, ne natura magno morbo iam antè pressa, accedente auxilio huic pellendo, vel æquali, vel pro debellando hoste forsan fortiori, sub morbi & medicaminis assumpti prœlio fatiscat. Quod si morem morbi huius consideres per quem is magnus inter cætera censetur non immeritò, enormem illum ac infidum planè & plusquam malignum deprehendes. Vndè nō iniquè Ouidius morbum hunc *inertem* appellauit, vtpotè qui medicationem quandoque non suscipiat, nec Medicorum pareat institutis ac legibus, nec artis operibus sese conformem exhibeat, aut habilem sese ac pro Medicinæ captu reddat tractabilem.

Malus morbi mos.

MALVM hunc quo iam dicta pestis imbuta est morem, prout iam antè notauimus, sæuitia, grauitas, & multitudo symptomatum, subitus virium vitalium interitus, criseos incertitudo, signorum quantumuis salubrium fraudulenta deceptio (cum quæ bona alioquin esse & pro salute ægri apparere solent,

malo

malo hic omine nonnunquam ſeſe oſtentantia, plenum ſpei ac promiſſionis Medicum perſæpè deludant) ac tandem morboſa translatio manifeſtè in obrutum proſtituunt, vt quæ pulſa peſtis ceſſiſſe viſa eſt, alio quopiam degenere procreato affectu, tanquam perniciei fundamentis ac nouæ calamitatis rudimentis in corpore derelictis ceſſerit quidem, at non niſi inflicto tali damno deceſſerit, quod in ſubiecto iam antea extremè debilitato, eam necis executionem parare valeat aut poſſit, quod prior affectus naturæ vel medicamenti vi pulſus odioſo inſtinctu intenderat, non aliter quam ſi cacodæmonum quiſpiam non niſi relicto poſt ſe fœtore demigraſſet. Sic eiecta peſte, tuſſes, lippitudines, vertigines, febres ſqualidas, ac alia conſimilia mala tanquam prægreſſi morbi fæces in corporibus relictas ipſi obſeruauimus.

Nec vero Medicum ratione & experientia tanquam firmis præſidiis munitum & in artis operibus iam dudum exercitatum morbi magnitudo, aut malignitas, imo nec veneni pernicies à curatione abſterreret (vtpotè qui morbo magno magnum quoque adhibere remedium antehac didicerit, & fallacem noxam mille dolis ac verſutiis implicatam magno ingenio, latentem hanc morbi fraudem deprehendente, prudenter ac aſtu-

tè præuiſam, ſcitè admodum debellare nouerit) ſi modo medicationis quandoque non deeſſet oportunitas.

Occaſio medendi in peſte quandoque vel negata vel neglecta vel intempeſtiuè oblata.

ITAQVE inter præcipuas perditionis cauſas quaſi primas tenet, vel negata prorſus, vel intempeſtiuè, aut præpoſterè medendi oblata occaſio, ſic tertio quartoúe die cum venenum iam altas ac nullo medicamine extirpandas in corpore radices egiſſet, ſalutaria conſilia tum demum expetentes, operam luſiſſe nouimus, cum è contra non paucos primo ſtatim morbi initio, antequam venenum firmam ſedem figeret, licet grauibus ſymptomatis iam iam conflictatos, artis poſt DEVM ope conualuiſſe reminiſcamur, morbo dum fieret, nondum autem factus omnino eſſet commodis auxiliis pulſo & diſcuſſo. Hic enim vbi venas cordi propinquiores, aut nobiliora vaſa ſubintrauerit, iam non de facili nec niſi magno labore expellitur. Primus igitur horror, primus vomitus aut nauſea, prima virium inſignis deiectio, & membrorum pluſquam notabilis laſſitudo curationis confeſtim inchoandæ ſint prima argumenta, cum vlterius prouecto morbo, vrgentium ſymptomatum copia & valor, vel antidoti exhibendi occaſionem deneget, aut exhibitam, effectum ſuũ commodè ſortiri non permittat,

tat, vel curationem morbo quaſi neglecto ad ſe rapiat.

CAVSÆ autem multæ ſunt cur non prima ſtatim vice homines tanto morbo commodum ſibi vel parent, vel quærant remedium, quarũ prima eſt, quod morbi energiam ac ſubdolam ac latentem vim qua ab initio nonnunquam mitis Eriſypelatis aut vulgaris febris Diariæ ſpeciem ementitur, vulgus non agnoſcat, ideoque natura (cuius beneficio ſeſe aliâs conſimilia prout ſibi videbantur mala euaſiſſe recordantur) negotium ac rem omnem committendam exiſtimant, cum interim venenum cordis penetralia ſubintret, ac maiores eundo vires clam acquirat.

Vulgus, primā Peſtis inuaſionem ſæpè non agnoſcit.

DEINDE verò cum affectus ipſe exoſus omnibus & ob clandeſtinam contagionem ac occultè ſerpens venenum non immeritò cunctis ſit formidabilis, vndè is ipſe integras ferè familias delet, amicitias diſſipat, neceſſitudines diſtrahit, ſuſpendit commercia, familiaritates disiicit, viciniæ ſodalitia tollit aut imminuit, amicorum fugat obſequia, conſanguineorum concurſus arcet, ſodalium conſolationes intercipit, fratrum gratiam indigna quaſi abalienatione peſſundat, proximorum charitatem auerſationis quodam examine fugat, ac domeſticorum inſuper fidelitatem non rarò eneruat,

Cauſæ ob quas homines morbum hunc occultare conantur.

eneruat, fit vt ſtudiosè malo hoc occultato, longos eidem progreſſus cum in ægrum, tum in aſtantes faciendi, ſuamq́ue his labem varimodè imprimendi non deſit occaſio ac opportunitas, ſic multi ob verecundiam, multi ob quotidianam alimoniam quotidiano opificio quærendam, nè hæc ob cognitam infectionem aliò translatâ merendi occaſione diffluerer, nonnulli tanquam infamiam quãdam indè paſſuri, ac omnibus neglectui futuri diutius malum occultantes, præproperæ neci, ac contagioni quoque inter domeſticos (quibus docta præcautio ſaltem aliqualem opem adferre potuiſſet) anſam ipſi dederunt, mortem quam ſummo ſtudio ac ſolertiâ occultare ſtuduerunt, negatâ (ne pateſceret morbus) medicinâ, quodãmodo inuitantes. Sic qui clam fortaſſe curari potuiſſet morbus, facta tandem clade pateſcit.

Multi dũ morbum occultare volunt intereunt.

De præpoſtera curatione quid dicam? Neſcio ſanè an in rerum natura morbus extet alius contra rationem & methodum inſulsè, præcipitanter, Empyricè ac temerariè quandoq́ue curandus. Exemplo ſit homo multa prauorum humorum copiâ, ac cacochymiâ turgens, huic humida Auſtrina & pluuia anni tempeſtas & conſtitutio maiorem excrementitiorum ſuccorum ingenerauit luxuriẽ, quæ ſuccenſa, ac in veneni vim acuminata

putre-

putredine peſtilentem morbum produxerit, ægrotauit hic & peſte decubuit, hac iam vltra biduum vel triduum detentus, poſt quod tempus ad Noſocomium deportatus curari ſeſe implorat. Quid faciat Medicus? Venamné ſecet? minimè, ars enim hanc plenitudini, cacochymiæ vero purgationem præſcribit, purget igitur? neque hoc, vires enim pharmacum iam non ſuſtinent, & exhibitum deiectorium, ſparſum per venas ac corporis ambitum venenũ intrò reuocabit, nec ad emunctoria (ad quæ natura idipſum propellere iam instituit) idipſum propulſabit, imò naturæ expulſionem præpediet, ac tandem cum ij qui peſte detenti ſunt in ſyntexin & colliquationem plus magis proni exiſtant, cumque ſoluta in peſte aluus plurimos è medio tollere ſoleat, quis quæſo hic Medicorum purgationem tentabit? Veruntamen hac de re paulò infra.

Indicationum curatiuarum in Peſte repugnantia.

SVPEREST nunc vt ſudoribus prolectis venenũ diſcutere ac excutere tentemus: at quid ſudorifica in corpore tam impuro? hæc enim cum magna ſui parte calida ſubtiliumq; partium & ſint, & eſſe debeant, nonnè hæc humorum eam ſaburram, qua corpus hoc prægnans eſt, & exagitabunt & inflammabunt? Vndè fit vt millies ad peſtem curandam commendata Theriaca, millies impuris

corpori-

corporibus obfuerit, hinc contingit, vt quod remedium esse debuerat, necessitate cogente (cum aliter vix fieri quandoque possit) exhibitũ persæpè mortis euaserit incitamentum. At dices? frigida antidota sudoribus propellendis çquè idonea supersunt? Respondeo, ea vbi natura iam progresso morbo in segnitiem acta est, vel omninò non, vel tarde corpus permeare, præsertimq; tale, quod corruptorum aut vitiosorum humorum abundantia preslerit. Sed ab occulta id qualitate præstant? concessero, sed si quæ ab ingenitâ consimili vi calorem præterea insignem à proprio temperamento nacta vix aliquando venas procuratâ diaphoresi peruadũt? quomodo quæ frigida cum sint, hoc efficient?

Empyrica igitur planè, fortuita, contra methodum inita ac temeraria quodammodo ex his resultat pestis curatio, quæ tamen talis est vt quos morbo inducias negante, ac ratione prima fronte aliter suadente, sine ferè medicamine certæ quasi desperationi tradere, ac prognosticis relinquere potuisset Medicus, ambiguo & fidis indiciis haud constante remedio, ægrum sub dubia spe hærentem non raro persanet. Neq; hic me pudet illius quod dici solet, imperitum eum esse Medicum qui morbum non nisi morbo curare sciat, artis enim mihi sit inducto minore ac securiore af-

fectu

fectu grauiorem imò grauissimum depulisse, sic hoc anno quo ratio corporum purgationem exigebat, quam morbi occasio non admittebat, ægros primitus porrectâ forti antidoto (vt malignitatem à qua omne dependebat periculum tolleremus) iam antè intrinsecus febre intestinâ succensos, plus magis studiosè quandoque inflammauimus, ac pulso sic veneno, calorem illum quem superinduximus, tanquam simplicis intemperiei affectum percurauimus.

Pestis inducto non raro morbo alio tandem curatur.

Ad vlteriores verò causas descendendo, plurimos ægrotos grauissimorum morborum vi, aut symptomatum vehementiâ ac sæuitiâ, vel multitudine, & malignitate, sub Medicorum manibus interire tam certum est, quam quod certissimum. Magnum porrò eorum numerum suoptè vitio, ac diætæ crimine, aut Clinicorum imperitiâ, aut alio aliquo externo vitio neci occasionem parante perimi, ac è medio tolli, nemo vel parum sapiens ignorat. Vndè prudentissimus Hippoc. 1. Aphor. 1. cum medicinam facientium honorem meritò defendendum reputasset, illorumque, si quæ ab his peccata commissa forent, in vitæ breuitatem, artis prolixitatem, occasionis præcipitem lapsum, experimenti periculum, ac iudicii difficultatem coniecisset, tametsi hæc ex parte Medici vera, fixa,

Tametſi Medicus doctus diligens ac expertus cunctaritè præſcribat, multum tamẽ in ægri obtemperatione, & Clinicorũ diligentia ſitum eſt.

rata ac explorata ſubſiſterent, curationi minimè vnquam ſufficere poſſe rectè eſt arbitratus, proindeque ægri in obtemperando diligentiam, & adſtantium ſeu Clinicorum in ſeruitiis ægro exhibendis ſedulitatem ac ſolertiam, nec nõ reliquorum, id eſt circumſtantiarum extrinſecarum, vtpotè quæ morbo vel commodum vel incommodum leui occaſione adferre præbereque valeant, debitam diſpoſitionem ſtudioſè requirit.

ATQVI hocquidem cum in aliis morbis omnibus alioquîn de ſui naturâ ſalubrioribus meritò & expetatur, & experi debeat, quis hic negata iam (vt iam antè diximus) medendi occaſione, & iudicio ob ſignorum à maligni moris morbi infidelitate prodeuntium fraudulentiam in diſcrimen plus magis acto, adſtantium vel imperitiâ, vel incuriâ, ac negligentiâ nec non circumſtantiarum & accidentium externè aduentantium varimoda alteratione ac permutatione ægros in ipſius perſæpè mortis præcipitium agi vel non obſeruauit? vel medicinam faciens non obſeruabit? quantumuis his doctus ſolers & expeditus Medicus deſeruiat.

MEDICATIONI, ſomno ac requiei, cibationi, exercitationi, ac aliis ſimilibus ſua quæque debentur tempora, ſuus cuique debetur ordo, quibus non cautè animaduerſis,

error

error statim & nonnunquam grauis committitur, & qui alia in ægritudine parui momenti censeri potuisset magno hic in morbo irremediabilis ferè, & vix vlla ope euadit reparandus. Cum autem Diætetica pars quædam medicinæ sit haud vulgaris, quam Clinicos eximiè nouisse ac necessariò exactè tenere decet ac conuenit, quis quæso morbo huic tam formidabili & tam studiosè ac delicatè tractando, cui ferè non nisi fæx populi vulgique quasi quoddam excrementum deseruit, quod vel laborum vitæ huius pertæsio, vel extrema paupertas ac indigentia sub tanti periculi metu ad seruiendum impulit, vel lucri alioquin hoc genere rarioris cupiditas, è pistrinis quodammodo euocatos, insueti studii ac noui officii munia subire fecit, rudis ac ineruditæ plebis crudam rusticitatem, ac incultam operam, sufficientem futuram opinabitur? cibabit hæc etenim cum potare debuerat, medicabitur cum à pharmaco pax ac induciæ celebrandæ fuerint, quietis hora exercitabit, quæ exhibenda fuerint applicabit exhibitis applicandis, sic ventri forsan quæ capiti, & fronti quæ tergo præscripta fuerant medicamina adhibebuntur.

Rusticitas & imperitia Clinicorũ multos in necem ferè agit.

MILLE hîc errores, mille peccandi occasiones, quas Medicus nec præcipiendo, nec adhortando, nec instruendo, nec inculcando,

commendandoque rescindere valeat, vtpotè qui viuum persæpè clinicum licet penitus inertem, semiuiuis tamẽ ægris suis adstare gaudeat, ne hi penitus quasi derelicti sine custodia aut medicamine decedant, quod quidem ex DEI benignitate largâ benedictione perfusum ex docti Medici præscripto ipsis eximiè profuisse potuerat, nisi ineptè ac intempestiuè ac forsan præposterè ex Clinicorum imperitia vsurpatum, ægrum quem leuare debuerat, si non in perniciem egisset, saltem morbo variis symptomatibus cumulato detentum, maioribus errore citatis noxis conturbasset.

INFIDVS igitur morbus, negata vel intempestiuè adhibita medicatio, ægrorum tãta anxietate pressorum iectigatio, delirium & desipientia per quam suimet curam nullam gerunt, & clinicorum insuper rusticitas prę̨ter alia in ægri perniciem conspirant quibus hic de facili succumbat.

CAPVT

CAPVT XIII.

De indicationibus solennioribus ad pestis curationem pertinentibus, &c.

IMMANIS hic & planè ferox morbus, cum magnus sit summeq; lethalis, & in quam plurimis percutus de sui naturâ illicò remediandum esse indicat, ambidextrum igitur Medicum, medicinam haud segnem, festinatam operam, auxilium insigne, fidum remedium ac celerem omninò medicationem exigit, idque primo statim initio illicò agendū monstrat, antequam humor putrefactus intumescat, & ex paucis vt Thucydides innuit multa fiant, vel antequā concepta labes latius sese in corpus disseminet, aut in ipsa sese cordis penetralia recipiat, tunc enim principum magno sumptu comparata remedia irrita sunt, morbo omne ferè auxilium respuēte. Nullus igitur hîc procrastinationi locus, nisi enim medicina morbum anticipauerit, actum iam est, & de ægri salute conclamatum. *In Peste illico remediandum.*

SECVNDA indicatio à morbi malignitate desumpta, alexiteriis antidotis & alexi- *Alexiteria.*

pharmacis pugnandum eſſe monſtrat, quibus tanquam appropriatis ac ſpecificis lethale virus extinguatur, non neglectis interim ijs, quæ fuliginibus excludendis calori febrili mitigando, obſtructionibus reſerandis, ac putredini arcendæ apta exiſtunt, ſemper autem hîc contra occultam veneni perniciem ſingulariter pugnandum, cum ab hac maximum vitæ periculum immineat, vndè Galenus rectè non frigefactoriis aut calorem inducentibus, vel aliter atque aliter corpus alterantibus medicamentis, ſed Antidotis conſimilem noxam expellendam innuiſſe viſus eſt, qui Bolo Armena nulla manifeſtæ qualitatis energiâ hic auxiliante, ſed occulta quadam vi morbum ſuperante, tanquam Alexiterio pugnandum cenſuit, adeò vt eos quibus hæc exhibita non profuit, interiiſſe commemoret.

INTERIM tamen reliquorum medicamentorum vſus non aſpernandus, vel negligendus, quibus putredinem emendandi, febrilem æſtum mitigandi, obſtructiones liberandi, ſanguinis ac humorum ebullitionem ſedandi, ac alio quouis modo ſuccorum inæqualitatem temperandi facultas ineſt, ita tamen vt hæc ad antidotorum naturam quam proximè accedant, aut ſi non directè, alterna tamen viâ contra veneni vim pugnent, quorum

rum seriem in sequentibus Deo gratiam nobis elargiente recensebimus.

Tertia curationis indicatio à partis affectæ natura depromitur, quæ quidem nobilissima cum sit ipsiusque vitæ focus, ac vitalium spirituum officina, sui conseruationem præ reliquis postulat, quare huic protinus antè omnia diligenter prospiciendum, vt fulcitum cordis robur, & quantum humana ope præstari potest munitum audacter in hoc veneni prœlio dimicet, ac in duello hoc decertans aduersos insultus fortiter sustineat, his ipsis haud vnquam succumbens, sed redintegratis spiritibus tanquam subsidiaria ope aduentante, fœlici potiatur victoriâ, quod si Medici in Peripneumonia vnam salutem in virium robore statuere consueuerunt hic sanè omnis conualescentiæ spes in earundem integritate mihi meritò videtur collocanda, hæc enim symptomatum sæuitiam sustinet, malignos morbi motus elidit, crudeles accidentium (luem hanc comitantium, ac turmatim quandoque aduentantium) impetus repellit, naturę patrocinatur ac vitæ partes tuetur, imò commodis medicamentis adiuta sudores promouet, & salutares ac proficuas crises edit, quibus teter etiam alioquin & ob infidelitatem signorum dolo malo refertus morbus, incolumitate rursus partâ decedit.

Cor in Peste affectū.

Firmitudo virium optimum in Peste signum.

Vndè nulli ſignorum hoc in affectu fidem habendam iuſtè cenſeo niſi firmo & non fuccato, aut apparenti ſolûm virium robori, cum præſertim res ſeſe haud ſecus in manſuris quam in morituris perſæpè habere ſoleat.

CAPVT. XIV.

De peſtilentis morbi curatione, & primùm an & quando ac quomodo venæ ſectio & purgatio in peſte ſit adhibenda.

PESTIS vim omnem in veneno ex inſigni putredine genito conſiſtere ſępius iam tradidimus, ex veterum & neotericorũ plerorumq́ue doctrina id ratum facientes, vndè morbum hunc expugnaturi, conſiderabimus meritò, an, quid, & quantum ab emiſſo ſanguine aut alui ſubductione commodi expectandum ſiet.

GALENVS hanc eandem peſtis hyparxin, prauæ ac venenatæ qualitati potius quam ſanguinis aut materiei copiæ inſidere cum cerneret, Theriacâ & Bolo Armena tanquam antidotis contra veneni ferociam agentibus curationem eſt exorſus, quem omnis ferè ſe-

cuta

cuta posteritas, parum aut nihil venæ sectioni hac in lue tribuendum censuit, imò per hanc complures in necem actos, vel alioquìn grauem quandam virium offensam perpessos esse obseruauit.

Et sanè nescio qua persuasione, quouè argumento, ne dicam incantamento eousq; inertiæ nonnulli deuenerint, vt curationem sectâ venâ vtplurimum inchoandã, vel quod peius est prouecto longius morbo sanguinis missionem celebrandam esse opinentur, cum res hæc non rationi modo, sed & veterum ac neotericorum præcipuorum sententiæ, quin & experientiæ ipsi refragetur? nisi stupidum hoc & pestilens in pestilentia consilium, ab Empyricorum loculis in vulgus (quod deindè opiniones suas arctissimè tenere, ac pro ijs tuendis magna obstinatione plerumque pugnare solet) sparsum defluxerit.

Norunt sanè omnes venæ sectionem inter magna remedia numerari, quibus absque virium robore nullus sit in medicatione locus, quomodo igitur hanc in peste administrabunt?

At dicent magnus morbus magnum indicat remedium, deindè quoque corpus à venâ sectâ refrigeratur, vndè febris minus fit valida, & sanguinis mole diminutâ, quod reliquum in venis est facilius, commodiusque

ventilatur, vndè per accidens etiam putredo quæ in fieri est, nonnihil inhibetur coërceturque, & vitiosi succi vnam in partem insolenter ruentis fit quædam diuersio, à qua magna symptomatum metuendorum speranda lenitio. Verum nugæ sunt & falsæ imaginationis pollicitationes, etenim magnus morbus magnum non indicat multò minus perfert remedium si vires non adfuerint, quas primo statim morbi huius initio fatiscere certum est. Et dato, ventiletur sanguinis missione corporis habitus, coërceatur putredo quæ in fieri est, auertantur humores in partem quampiam impetum facturi, quid de putredine ea quæ iam non in fieri, sed facto esse venenum fouet, agetur? venę namque sectione corpus à veneni ac malignitatis huius pernicie non vindicatur, quo nomine Medicorum celeberrimi, ictu, morsu, potu, tactu, aut esu intoxicatis corporibus tanquam nocuam venæ sectionem damnarunt. Sic Galenus quoque de cibis boni & mali succi agens Medicos in peste illa à sanguinis missione abstinuisse tradit, quod noxam illius morbi non à sanguinis copia vel vbertate, sed ab alienæ putredinis vi dependere cognouissent. Deindè verò cum pestis omnis venenum sibi adiunctũ habeat, nullum autẽ venenum sanguinis missione curetur, multò minus pestilens

In Peste venam vel nunquam vel rarò secandam.

hac

hac profligabitur, cum enim omne venenum foras confestim propelli, & illico excludi postulet, quis non contrario planè motu id intrò reuocatum iri existimabit? quod quidem dudum Auicēna monuit veneni à secta venâ recursum ad cor rectè metuens.

In Pestilenti Pleuritide vena sectio nocua.

QVOD si in pestilenti pleuritide, quæ tamen duplum sanguinis mittendi scopum apparenter innuere videtur sanguinis eductio insignem noxam adfert, imò morbi sæuitiam auget, quis quæso venam in peste non nisi temerario ausu pertundet?

Celeberrimorū Medicorum de sanguinis missione in Peste sententia.

CELEBERRIMVS ille Fallopius ferè omnes quibus vena secta fuerat interiisse, multos autem hanc omittentes saluatos fuisse obseruauit: Quod etiam experientia sibi cognitum notauit magni nominis Medicus Gesnerus, quorum opinionem artis vsu testatam exercitatiores pragmatici vnanimi consensu approbarunt. Sed & hoc audi, cum raro fiat vt in primo morbi principio vocetur Medicus, quæ quæso mittendo sanguini occasio suppetet? cumque vulgus non nisi deprehenso bubone auxilium plerumque quærat, tunè venam secabis quam insignis ille Hollerius eunte iam dicto bubone nocuam esse experimento deprehensum esse tam diligenter admonuit? quam etiam nobiscum non sine causa damnat Heurnius.

Ex his igitur cum veterum tum neotericorum rationibus, auctoritate, experientia, & obseruationibus perspicuum sit, venam in peste vix vnquã esse secandã, cum vt plurimũ huic administrandę desint & vires, & occasio, vires quidẽ vtpotè quæ semper ab exhaustione vitalis virtutis ac spirituũ illicò ferè collabuntur, vndè afflicto maiorẽ afflictionẽ addere dissuadet ratio. Occasio porro nõ suppetit eò quod morbi principia ferè vel ignorentur, vel negligãtur, vel nocua planè ac lethali occultatione ab ipsis ægris supprimãtur, vndè prima occasione neglectâ nulla iã amplius mittendi sanguinis oportunitas sese offert.

Conclusio. CONCLVSVM igitur hoc esse conuenit, nunquam vel vix vnquam, nec nisi in primis morbi initiis, hoc est antequam viginti quatuor horæ elabantur, idq́ue si cor non ab exhaustione, sed oppressione spirituum fatiscit, ac parcè valdè, & porrecta prius antidoto quæ vires fulcire valeat, venam tundendam.

ATQVE hoc quidem negotium cum expediri voluerit, corpus plethoricum sit, vires constent, ætas suadeat, consuetudo, tempus anni, regio, & similia consulant, ac insuper morbi tempus id permittat, quia prouecta iam per biduum aut triduum ægritudine ob dempta vitæ pabula, labefactata virtus vitalis,

talis venæ ſectionem haud ſuſtinet, quam ſi celebrare viſum fuerit, à minoribus venis, & locis à corde remotioribus, vtpo è malleolo ac talo ſanguis trahatur, parua tamen quantitate locoque buboni ſubiecto, vt in parotide peſtilente ex ſaluatella in inguinum bubonibus ex poplite vel malleolo.

HORTOR autem & admoneo, ne Medici in euocato ab ægris ſanguine ſuas onerent conſcientias, ne ſanguinis rei æſtimari poſſint, quod prolixioribus verbis, adductis veterum & neotericorum rationibus, experientiis, ac obſeruationibus, omninò non, vel non facilè in peſte venam ſecandam eſſe pro ægrorum ſalute ac propria cum conſcientiæ tum famæ tutela fraternâ charitate inducti monere voluimus, corollarii loco ſubiungentes quod peruetuſtus ille magnæ æſtimationis Medicus Oribaſius conſuluiſſe legitur, venæ ſectionis annuam reiterationem damnans, eò quod ſimul vitalis egrediatur ſpiritus, vndè homines imbecilli euadunt, & virtus redditur euanida, qua ratione etiam pulſus ex Galen. 3. de præſag. ex pulſ. 3. ſententiâ non ſunt validi. Sanguinis autem hanc miſſionem iam dictus Oribaſius crurum ſcarrificatione ſupplet, qua quidem ſimplici ſcarrificatione Proſper Alpinus in Ægypto medicinam faciens illius loci incolas, quibus pe- *Scarrificatio.*

ſtis eſt

ſtis eſt ferè endemia ſeu vernacula haud contentos, ſuræ muſculos quaternis aut quinis profundis inflictis vulnerib⁹ per rectũ diſciſſos, & ſtudioſè haud citò conſolidatos experientia duce fœdam ſic illuuiem exonerare didiciſſe commemorat.

QVOCVNQVE autem modo, ſiue venæ pertuſione, ſiue per cucurbitulas ſanguinis vacuatio eſt futura, vires ægri antè & poſt hanc debitis præſidiis roborandæ, quo nomine conferet Boli Armeni drachmam ex aq. Acetoſæ & Roſarum ac modico vino albo odorifero eidem exhibuiſſe, aut Specierum Liberantis, Cordialium Alexandrini Bened. vel Temperatarum aut de gemmis frig. ſcrupulos ternos vel quaternos ex vino Cydoniorum aut Granatorum, admixto acido Citri ſucco, ex iam dictis aquis propinaſſe, quò per ſanguinis eductionem cauſata virium iactura reſarciatur.

EVNDEM in finem inſignes illi pulueres cordiales Rubeus nempè Pannonicus, nec non Bezoardicus apud Nicolaum deſcriptus & Puluis Electuarii de Bolo ac alii conſimiles cum Syrupis de Limonibus ſucco florum Tunicæ aut Rubi Idæi commodiſſimè offerentur. Veruntamen qui venam ſecare voluerit de his cogitet, ac quomodo periculũ quod ſibimet ipſi parat, euitet, videat.

Ego

Ego de his non ſum ſollicitus, neſcio enim an vnquam in peſte ſanguinis miſſionem ſim præſcripturus vel in eius adminiſtrationem conſenſurus.

De purgatione & pharmacis deiectoriis in peſte exhibendis diligens quoque habenda eſt diſquiſitio, quæ modo in totum proficua, modo in totum nocua eſſe & ſolent & eſſe poſſunt. Proindè ſi vnquam Medici diligentia & ſtudium requiritur, hic ſanè præ reliquis accuratum ejus iudicium ac ſumma dexteritas expetitur non immeritò, nam licet putridorum humorum in corpore cumulatorum ſaburra aut cacochymia ſui depulſionem pharmaco purgante moliendam indicarit ac fœdi ſucci quibus peſtilens venenum inſidet, & à quibus noxa omnis primariò dependet, ſeſe protinus vacuari poſtularint, id tamen multas ob cauſas præcipitanter haud agendum, ſed magnâ conſideratione vrgentibus è contrario cauſis validioribus non rarò differendum. *Purgatio.*

Etenim veneni potiores vires habentis petulantia confeſtim morbo ferias non dante refrænanda, quod niſi intra diei naturalis ſpatium peractum fuerit, rem malè geſtam ſera nimis ſequetur pœnitentia. Venenum enim vitæ excidium confeſtim machinatur, cumque id non purgatione ſed Alexi-

teriis pelli queat, videndum ne tempus antidoto exhibendæ debitum, pharmaci exhibitione absumatur, & sic venenum, cum nullam habeat à medicamentis resistentiam, altius sese insinuando ad cor vsque permeet, vndè in hunc locum eximiè quadrat insignis illa prudentissimi Hippoc. sententia, ab omni arte potissimum autem à Medicina procrastinationem alienam esse dicentis, vtpotè in qua vt ipse ait, *perendinatio procrastinatioq́; vitæ periculum adfert & animæ.* Huic alia accedit causa purgationem in hoc affectu dissuadens, nempè hæc quod cum Pestis è limo sanguinis efferuescente ac magnâ humorum conturbatione exagitationeq́ue persæpè oriri credatur, purgantia pharmaca maiore succorum commotione producta, morbi vehementiá nostra sanè existimatione plurimum auctura, ac afflicto maiorem afflictionem sint additura. Adde quod humores hoc ipso affectu iam antè conturbatos, vbi medicamento purgante extimulati plus magis fuerint, vel rapido impetu cor suffocaturos, vel præcipiti lapsu in ventrem excurrendo lethalem diarrhæam (cum præsertim fluxus aluini plurimos è medio tollere hoc in morbo soleant) producturos sit metuendum. His sese hæc quoque causa coniungit, quod cum venenum venis conceptum sanguineæque massæ permixtum,

mixtum, aut in corde contentum ſit, longè facilius per cutis ſpiracula & poros ſudore ac inſenſili tranſpiratu vacuetur, quã faſtidioſâ ac magis operoſâ per longas ambages & tot in corpore tamque multiformes anfractus, inſtituta humorum à circumferentia ad centrum purgatione reuocatorum eductione. Itaque veneni extirpandi occaſio nec à venæ ſectione, nec à medicaminis purgatorii oblatione, ſed ab Alexipharmaco & venenineco remedio petenda, id enim ſemper in Peſtis curatione primum ſibi locum vendicat, cui ſuo loco pediſſequa futura ſit purgatio morbi ac veneni quisquilias ſuo tempore eductura.

IGITVR ſi peſtis eſſentiam conſideremus, ex ſui natura, quatenus venenata eſt nec venæ ſectionem vt iam antè docuimus nec purgationem admittere videtur, vtpotè quæ ſolis alexipharmacis antidotisque ſit debellanda, quia tamen peſtem modo ab aëris vitio extra nos nato, modo ex humorum inſigni corruptelâ ac deprauatione intra nos genitâ ac productâ oriri demonſtrauimus, videndum, qua occaſione ſalutariter hæc queat adhiberi, & quo modo ab hac auxilium ſit expectandum. Proindè ſi peſtis ab aëris inſpirati venenoſitate ſpiritus vitales perimente oriunda eſt, vel nunquam vel rarò purgatio lo-

tio locum habebit, nisi forsan inquinamentum in corpus cacochymicũ aut vitiosis succis onustum inciderit. At verò si noxa omnis ab humorum prauitate dependet suo hæc loco & tempore administrata plurimum feret emolumenti, vtpotè morbi fomitem eductura, & veneni sedem per ventris sentinam propulsura. Hoc forsan obseruans Iacobus Carpensis plurimos ab anno 1527. vsque ad annum 1531. sanitati restituit, ineunte morbo leniens pharmacum exhibens, in augmento verò purgans, vndè etiam Auenzoar medicamentum Euphorbium excipiens propinare non fuit veritus, & Gentilis, Medicos sui æui, Scammoniatis medicamentis porrectis fæliciter quandoque vsos fuisse commemorat, idque non absque aliqua ratione insigni, etenim cum corpora fœdis humoribus onusta sunt, aut prauis succis circumfluunt, vel alioquin cacochymiâ premuntur, ne antidota vt plurimum calida putrium humorum in iam dictis corporibus contentorum molem ac massam succendant ac inflamment, neuè venenum ab accensis his prauis succis & subtilius euadat, & latius sese disseminet, agatuè fortius, aut humores iam dicti calidorum alexipharmacorum vi accensi & varimodè disiecti in nobilem quandam partem irruant, cui phlegmonem aut inflammationem lethalem

omninò

omninò accersant, purgationem omninò exigunt, alioquìn abacto per antidota veneno, qui pestilens erat morbus, in alium vix quidquam se minorem recidiuæ cuiusdam (pessundatis iam antè à prægresso veneno viribus) rationem habente degeneret. Id nobis hoc anno contigit, quo corpora fœdis succis scatentia veneno premebantur, vbi si purgationi instituendæ data fuisset occasio præter eos qui DEI misericordis ope conualuerunt, magnus adhuc forsan ægrorũ numerus euasisset quibus cum nos contra veneni potiorem indicationem obtinentis vim dimicare cogeremur, putridorum humorum copia vel vim intulit, vel morbo antea iam infido & imperfectæ crisis edendæ magistro, in aliam affectionem aliquam degenerandi viam monstrauit, quæ fractas iam vires nouo insultu penitus frangeret ac iugularet, cum præsertim progresso ferè iam longiùs morbo vt plurimum ægri ad nosocomium deuenirent.

HABITA igitur & causæ morbificæ & corporum ratione, vbi porrectis antidotis venenum debellatum fuerit, & vires purgationem ferre videbuntur, pro singula cuiusque natura ac lege artis hæc studiosè ac sollicitè administranda erit.

PRIMO itaque malignitate alexipharmacis depulsâ, si vires permiserint, luxurians

Post venenũ debellatum purgatio administrãda.

humorum copia purgatione artificiosè succidenda, idque remediis omninò mitioribus, ne fortiora illa, magnâ vibratione vectioneque humores præcipitantia (solutiua communiter dicta pharmaca) fractas iam vires pessundent, aut prçcipitatis in ventrem succis diarrhæam producant quæ in peste lethalis esse solet, vndè Hippoc. 3. Epid. 3. Ventris profluuium cunctos abstulisse notauit. Hortor igitur & moneo vt medicinam facientes illius sæpè meminisse velint quod Mesueus admonet inquiens, *Et in solutiuo est timor fortis, ipsum enim quandoq; mouet & non soluit, & quandoq; superfluit.* Sint igitur medicamenta omninò leuia, & vix vnquam Rhabarbari aut Agarici vires transcendant, nisi fortè his stimuli causa minima quædam solutiuorum vocatorum portio pro horum operatione acceleranda iungatur. Fallopius Euphorbium probat quod sanè forte est, & forsan magis veneno insita quadam vi resistendo quam purgando prodest. Antimonium illud conturbans & vitriolum Paracelsistarum, vomitorium securitatis nomine improbo, quæ tametsi quandoque visa sint profuisse, compluribus tamen obfuisse vix dubitandum.

Secvrissima verò imò omni ratione accommodatissima pharmaca ad putridos humores pestis fomites expellendos

dos existunt ea quæ præter purgandi vim venenis resistũt, quo nomine Rhabarbarum & Agaricus Theriacæ vim habens & consimilia summè probantur, quod si insuper febrilem simul æstum mitigandi potentiã obtinuerint saluberrima meritò censebuntur, ea enim non naturæ modo student, & veneni vim frangunt, sed etiam morbi conducunt accidentibus. Quia verò id vno simplicique medicamine vix vnquam tributum est, solers ac peruigil artis opera, his intentionibus satisfaciendi quodam argumento, insignes quasdam compositiones astruxit, inter quas primas tenet Tryphera illa Persica ob succum Solani & Endiuiæ, Tamarindos, Saccharum violatum, acetum & semina quæ hanc ingrediuntur frigida, febrilem æstum temperans, ob folia porro Sennæ, Epithymum Lupuli Succum, Fumariæ semina, Mannam & Cassiam sanguinem depurans, & adustis parans humoribus exitum, ob Rhabarbarum & Agaricum venenis resistens ac mixtam cum pituita bilem euacuans, ob Myrobalanos visceribꝰ robur afflans ac ob Spodii quoq; Rosarũ, Santalorum, Macis & similium cordialium medicamentorum efficaciam, vitæ fonti familiaris nec sine magno ingenio à Mesueo aut Ioanne Damasceno ad sanguinem depurandum, & humorum vstionem tollendam *Tryphera Persica.*

excogitata. Hanc ſequuntur magni vſus ac commendationis nonnulla alia vtpotè Diaſenna Nicolai El. Diacatholicon Lenitiuum de Manna & Florenzole dictum nec non Diacaſſia cum Manna & Diaprunis lenitiuũ Diadamaſcenon vocari ſolitum. Inſignem porrò laudem meretur Syrupus Roſatus laxatiuus vtpotè cordialis valdè & ob amarorem putredinem inhibens ac febris incendia mitigans, nec purgando ventri moleſtas turbas inferens. Similiter & Syrupus Diaſereos obſtructiones præterea tollens & venas ſtrenuè peruadens, quas pulsâ vrinâ repurgat prout & Syrupus de Cichorio cum Rhabarbaro Nicolao Florentino auctore, licet viribus hoc aliquantò inferior & Domeſticus nuncupatus è baccarum ſpinæ ceruinæ ſucco Cachexiæ pellendæ accommodato inuento paratus, nec non Syrupus de Rhabarbaro ſolutiuus noſtris officinis vſitatiſſimus, & vel puerulis ac tenellulis naturis aſſumptione ſecurus.

Syrupus Roſatus.

Ex fortioribus pharmacis (quæ tamen non niſi ſtimuli cauſa prioribus his iam dictis parciſſima manu admiſcenda cenſeo) huic negotio accommodata ſunt El. De Pſyllio, & è ſucco Roſarum ac de Sebeſten Montagnanâ inuentore, nec non in pituitoſis corporibus Diaphænicon, prout in aduſtione humo-

Solutiua.

humorum celebris illa confectio Hamech Mesue, quæ pro cuiusque ægri conditione ac natura morbiuè exigentia ex docti ac solertis Medici iudicio nunc huic nunc illi vitioso succo depellendo ac per ventris sentinam deturbando commodè sibi inuicem iuncta figurabuntur, quæ si potionis forma exhibenda fuerint commodissimè hoc decocto nostro magistrali diluta in haustus redigentur, cuius hæc est descriptio.

℞ *Herbarum Acetosæ.*
Scordij.
Endiuiæ.
Melissæ.
Cardui Benedicti.
singul. manip. j.
Betonicæ.
Fumariæ.
Lupuli.
Calendulæ.
Verbenæ.
Agrimoniæ.
Chamædryos.
Adianthi vtriusque.
Ceterach. singul.
manip. semis.
Violarum.
Rosarum.

Anthos. singul. pugillos. ij.
Semin. Citri.
Radic. Pimpinellæ.
singul. vnciam. j.
Cichorii. vncias tres.
Polypodii quercini.
vncias sex.
Tamarindorum vncias octo.
Iuiubarum.
Sebesten. singul. numero viginti.
Macis drachmam vnam.
Incisa misceantur, in vsum debitum asseruanda.

POSSVNT hæc boli specie iis qui à potionibus abhorrent exhiberi, quibus amarissima quæque intromisceri queunt nempe Hiera picra Galeni putridos è ventriculo succos extergens. Ex pulueribus commendari postulant, puluis Sennæ præparatæ Montag. scrupulorũ quatuor pondere ex tenui mulsâ, vino, aut pulli brodio potus, nec non in pituitosioribus ac magis robustis, solutiuus ille de tribus inscriptus ex conuenienti liquore haustus, & Rhabarbarum ipsum cui in cachæcticis Mechoacam iungere oportunum fuerit. Pilulæ vix vnquam hîc locum habent, vtpotè quæ ferè Scammonium Diagrydium, Colocynthidem & fortiora similia in se continent pharmaca, à quibus ventris profusio

Pulueres.

Pilulæ.

in quam

in quam morbus hic alioquìn pronus esse solet metuenda, exceptis pilulis Ruffi, de Aloë lotâ, Masticbinis, Aggregatiuis minoribus, de Hiera cum Agarico, & Assaieret ac nonnullis aliis, quorum compositionem iam dicta excellenter solutiua non ingrediuntur, quæ subitam humorum in ventrem præcipitationem possint inuehere. Heurnius cœpam albam excauatam drachma Theriacæ ac modico puluere radicis Tormentillę & Dictamni repletam, & papyro humidæ inuolutam sub cineribus coquit, hanc postea contusam adiecta aqua Cardui Benedicti & aceto florum Calendulæ exprimit, & expressioni huic iungit Trypheram Persicam cum Electuario Hamech & similibus, idq́ue medicamentum propinat, quod purgaturum, & mox quoque sudorem prouocaturum pollicetur, contrarios eodem tempore motus non metuens, eò quod natura illicò à noxâ sit vindicanda, & quod vsus hæc proba esse docuerit. *Heurnii medicamentum.*

Et licet mille hìc possent adscribi remediorum formulæ, verum cum omnia pro ægri natura, viribus, morbi conditione ac tempore sint immutanda prudentiæ id Medici præsentis commissum volumus, potissimum solutiuorum dosin hoc in negotio non facilè exasperandam esse innuentes admonentesq́ue. Clarioris autem doctrinæ causa formulas

mulas aliquas seu paradigmata exhibendarum purgationum Pesti accommodatarum subnectere libuit, vt qua via nos plerumque fæliciter ingressi simus, alii quoque videant, quorum tamen iudicia ad hæc non restricta & vsque adeò deuincta esse volumus, nam & nos de melioribus quotidiè magis magisque edoceri & optamus & desideramus.

Si igitur sanguis præ reliquis humoribus in vitium abiit, is præconsideratis circumstantiis iam antè commemoratis taliter ferè repurgandus, vt:

℞ *Tryphera Persica vnciam semis.*
Syr. Rosati laxat. simpl. vnciam vnam & semis.
Diasereos drachmas sex.
Decocti Magistral. q. s. m. f. Potio.

Vel sic.

℞ *El. Lenit. de Manna drachmas sex.*
De Psyllio. drach. semis.
Syr. Rosati lax. simplicis.
De Rhabarb. sol. ana. vnciam semis.
Decocti flor. & fr. q. s. m. f. Potio.

ALIAS Sennæ folia cum Rhabarbaro & Agarici portione aliqua, stillatitio Cinamomi liquore leniter irrorata, aquæ Acetosæ & Cardui Benedicti infunduntur, factaque post debitam macerationem leui expressione, co-

laturæ

laturæ Syr. Roſatus, aut Diaſereos, vel Mannæ nonnihil iungitur, idq́ue tunc ægro exhibetur.

CERTE Syrupus Diaſereos ob Cichoracea tum etiam ob Myrobalanos, Sennam Rhabarbarum, ac præcipuè ob Agaricum venenis reſiſtentem, quique deſiccatoriam, inciſoriam, & diſcuſſoriam, indeq; à craſſis ſuccis ortarum obſtructionum expeditoriam (Dioſcoride & Aëtio teſtibus) vim obtinuit, maximum ſibi hìc locum vendicat, prout & Roſatus, ſanguinis ichores putredine labefactatos blandè ſubducens, & cor interim eximiè roborans.

Ditioribus hoc ferè præſcribi poterit.

℞ *Syr. Roſati lax. ſimplicis vnciam vnă ſemis.*
Diaſereos vnciam vnam.
Mannæ Calabrinæ drachmas ſex.
Succi Arantior. acidodulcium vnciam ſemis.
Decoct. Magiſtralis vel aquæ Boraginis q. s. m. f. Potio.

In bilioſis naturis talis ferè pragmatia inſtituenda.

℞ *Pulpæ Tamarindorum drach. ſex decoq. in vnciis quinque aq. Acetoſæ vaſe duplici clauſo, in colatura dilue.*
Diaprunis lenitiui. vnciam ſemis.

De Psyllio drach. semis.
Syr. Rosati lax. simpl. unciam vnam.
De Rhabarb. solut. vnciam semis
Misce fiat Potio.

Vel sic.

℞ *El. Lenit. Flor. vnciam semis.*
De succo Rosarum scrupulos duos.
Syr. Diasereos & Rosati laxat. simpl. ana. drachmas sex.
Decocti Magistralis q. s. f. Potio.

Si Bolum maluerit.

℞ *Cassiæ nouiter extractæ vnciam semis.*
Pulpæ Tamarindorum drachmas duas.
Rhabarb. puluerisati scrupul. vnum.
Specier. liberantis
Hieræ picræ Galeni ana scrupulū dimidium.
Cum saccharo fiat Bolus.

Vel sic.

℞ *El. Lenit. Flor.*
Diaprunis lenitiui. ana. drachmas tres.
Diasebesten vel de Psyllio drach. vnā semis.
Seminis Citri puluerisati scrupul. dimidium. Fiat Bolus cum saccharo.

In adusta & retorrida materia.

℞ *El. Diacatholici. vnciam dimidiam.*
Diasenæ Nicol. drach. vnam.
Syrupi de Polypodio,
Rosati laxat. compos. ana. drach. sex.
Decocti Magistralis q. s. m. f. Potio.

Vel

Vel sic.

℞ *Tryphera Persicæ drach. quatuor.*
Conf. Hamech. drach. vnam.
Syr. de Senna vnciam vnam.
Rosati laxat. simpl. vnciam dimidiam.
Dissoluantur in decocto Magistrali & f. Potio.

Aut

℞ *Pulueris sennæ Montagnanæ scrupulos duos.*
Tryphera Persicæ drachmas tres.
Syrupi Diasereos,
Rosati lax. simpl. vel de Polypodio ana. vnciam semis. vel drachmas sex.
Decocti Magistralis q. s. f. Haustus.

Delicatis naturis pro deturbandis sanguinis ichoribus exhibere licebit simile quidpiam.

℞ *Mannæ Calabrinæ vnciam vnam.*
Tryphera Persicæ drachmas duas.
Syr. Rosati laxat. simplicis
Diasereos ana. drachmas sex.
Aquæ Cardui Benedicti Scabiosæ vel Acetosæ q. s. redigantur in potionem, quam si fortiorem expetiueris, addito Extracti Cincopharmaci scrupulum dimidium.

Cachæcticis simile quid præscribatur.

℞ *El. Diacatholici drachmas quatuor.*
Syrupi Domestici seu de spina ceruina.
Diasereos ana. vnciam vnam.
Pulueris Mechoacæ scrup. dimidium.

Decocti

Decocti aperit. min. q. s. m. f. Potio.

Pituitosis naturis exhibeantur Pulueris solutiui de tribus inscripti scrupuli quatuor ex aqua Scordii & Melissæ,

Vel

℞ *El. Diaphænici drachm. vnã cum dimidia.*
Diacatholici drachmas tres.
Syr. de Rhabarbaro solutiui. vnciam vnam.
Mellis Rosati laxat. drachmas quinque vel sex.

Decocti aperit. min. q. s. m. f. Potio.

Dosis medicamentorum purgantium nunc augenda, nunc minuenda.

HÆc autem omnia pro Medici præsentis arbitrio, existimatione, consilio ac arbitratu adiectione aut subtractione moderabuntur, nos has solum formulas adiunximus, quas his casibus oportunas fore sumus arbitrati, cum autem singulis indiuiduis singulâ quoque habitâ censurâ sit succurrendum, prudens Medicus hæc sic à nobis posita & proposita pro decumbentis ægri natura & viribus seu tolerantia ac morbi occasione varimodè immutare, & pro sua diligentia cuncta commodè disponere & componere sciet.

CAPVT

CAPVT XV.

De Antidotis Alexipharmacisq; in Peste administrandis, ac propria pestilentis luis curatione, &c.

EXCELSVS ille, æternus, ac immortalis misericordiarum parens DEVS, per sublimis sapientiæ suæ infinitudinem, mortalium genus dira lue hac crudeliter exceptum, & multis eius calamitatibus afflictum iri cum cognouisset, ad eam depellendam debellandamq́ue paternâ miseratione ductus, tot tamq́ue præclara condidit remedia, quorum in rerum natura imò & vbiq́ue ferè locorum ingens extaret copia, per quam eius largitione, immani ac sæuo morbo pressus, & tantis in ærumnis constitutus homo, numeroso ac efficaci, imò quod plus est, vili quandoq́; pretio ac operâ comparando medicamine frui ac gaudere posset, ne hic miseriis hisce circumdatus sine solatio à Domino DEO in necessariis nunquam deficiente, orbum sese ac vilem quodámodo & neglectum putare queat. Insignes igitur cuilibet ferè patriæ plantas idem ipse rerũ omnium conditor

Insignis Dei prouidentia.

ditor innaſci, & è terræ gremio iuſſit emergere, quibus peſtilentis virulentiæ extinguendæ ac propulſandæ virtus ineſſet, vtpotè quas diuina ac deſuper veniente benedictione ad id præſtandum noſtro pro commodo & vtilitate dotaſſet ditaſſetque. Neque verò herbarum tantum germinibus has vires indidit, vtpotè quæ nec vbique locorum reperiri, nec perpetuò virentes ac vegetæ haberi poterunt, ſed & reſinis quibuſdam, foſſitiis, metallis, lapidibus, animantibus, imo & ipſis quoque excrementis ſalutarem vim quandam ad morbi huius contagia pellenda ineſſe voluit. Sublimis igitur huius ac præpotentis DEI munifica planeque liberali largitione confiſa de hominum ſemper ſalute ſollicita Medicina, tanta à Domino DEO parata ſubſidia, longo dierum numero, magna diligentia ac obſeruatione cognoſcere, ac vſu comperta poſteritati commendare ſtuduit, & quod vna tellus non obtinet aliundè in communem vtilitatem petere iuſſit, ſic tametſi apud nos Acetoſæ, Scordii, Cardui, Scabioſæ, Veronicæ, Abſinthii, Centaurii, Calendulæ, Verbenæ, Nucum, Tormentillæ, Pimpinellæ, Gentianæ, Iuniperi, aliarumque

Vulgaria.

ſimilium plantarum radicumque ac fructuũ copiam proſtare cerneret, his quaſi minus contenta, Dictamnum, Scorzoneram, Myr-

Exotica.

rham,

rham, Sulphur, terram Lemniam, Bolum Armenum, Aloën, Camphoram, & ſimilia è longinquis regionibus aduenire iuſſit, quin etiam gemmas ac lapides pretioſos, Smaragdos Hiacynthos, Bezoar & margaritas ab extremis Indis in publicum vſum aduexit.

Cvm autem medicamentorum ad peſtis curationem expetitorum ingens ſit farrago, quam diuerſorum Medicorum tot ſæculis ſibi mutuò ſuccedentium obſeruatio corraſit, breuitatis quodam ſtudio ac confuſionis euitandæ cauſa, delectu quodam ſingulari exquiſitiora nonnulla hic tradere inſtituimus, de cæteris enim multa hinc indè apud Practicos eſſe poteſt lectio. Suum proindè cuique ſit iudicium, nos tanti numeri reſpectu pauca quædam ſelegimus intentioni noſtræ vt plurimum Deo dante ſatisfactura.

Ex ſimplicibus igitur medicamentis in peſte extirpanda ſingulariter conuenientibus eximiam laudem meretur Citrium pomum è Media primitus per bella Perſarum à Dario illata aduectum, vel vt alii volunt ex Africa ab Hercule in Græciam deportatum, ſemine, pulpâ & cortice vſitatiſſimum, bibuntur ſeminis ſcrupuli circiter duo ex vino & aqua Acetoſæ, aut alio conueniente liquore ad internam arcendam putredinem, ſuccus ſudorem prolicit ac quandoq; per hunc

Malum Citrium.

educit

educit puſtulas, cortex oris cõmendans halitũ vitales ſpiritus reficit & peſtilentis aëris noxam emendat, bibitur ex vino vel tenui cereuiſia aut ore geſtatur ad auræ tollenda vitia. Aqua è corticibus eiuſdem aut integro pomo conciſo diſtillata peſti eximiè reſiſtit delicatioribus naturis accommoda.

MAXIMAM Aſſyrio huic ſeu Medico vocato Malo, contra venena deleteria vim ineſſe experimento comprobatum teſtatur Athenæus, qui legibus Ægyptiorum damnatos, ac feris in prædam expoſitos, ab aſpidibus quidem demorſos fuiſſe, nihil verò indè damni paſſos eſſe refert, eò quod cum ad ſupplicium ducerentur cõmiſeratione ducta quædam muliercula Citrium his pomum pro refectione edendum obtuliſſet, quo aſſumpto nihil à lethali virulentarum beſtiarum ictu noxæ ſenſerint. Inſignem hanc pomi huius in venenis pellendis efficaciam Virgilius 2. Georgicôn ſic ſuis metris pulchrè commendat.

Media fert triſtes ſuccos tardumq́ ſaporem
Felicis mali, quo non præſentius vllum
Pocula ſi quando ſæuæ infecêre nouercæ,
Miſcueruntq́ herbas & non innoxia verba
Auxilium venit ac membris agit atra venena.

QVOCVNQVE autem modo, hoc in peſte vtaris, celebre medicamentum exiſtit, putredinem

tredinem venenumque haud parum oppugnans, nec non cordis vires insigniter fulciens, quibus conseruandis omnem Medici operam attentam & intentam esse debere iam antè admonuimus.

MAGNÆ quoque famæ & commendationis Scordium, prout in putredine quauis interna, sic in peste præsertim, nostro quoque encomio eximiè decorandū sese offert, quod Gal. 1. de Antid. 12. tantam contra putredinem vim celebrium virorum testimonio obtinuisse tradit, vt cæsorum in prœlio cadauera, quæcunque supra Scordium fortè fortunâ ceciderant, ac per multos dies inhumata insepultaque iacuissent, multò minus aliis visa sint computruisse, ea præsertim sui parte qua iam dictam herbam attigerant. Proindè non immeritò celebratum id erat antiquis ad Pestem remedium, ex aceto enim cum Zedoaria coctum Scordium, putredinem sedulò emendat, sudores prolicit, vermes ac ventris tineas interficit abigitque, humores ab interitu vindicans, quo nomine Syrupus ex eius succo paratus, officinas nostras crebro vsu exornat, cuius quoque plantæ puluerem, Acetosæ aut Luiulæ conseruâ subactum, ad præcauendam pestilentiam sudaturis exhibuisse summoperè probamus. *Scordium.*

MVLTVM porro existimationis possidet

Ruta & Galega. Ruta cum hortensis illa variis vsibus expetita, tum verò capraria illa seu syluestris Galega nonnullis dicta, cuius succo cum aceto aq. Cardui Ben. & modicâ Theriacâ hausto, aut decocto eius poto, corpore abhinc ad sudorem composito complures in Lombardica illa anno 1576. grassante peste, mortem euasisse traduntur. Prodest autem vtraque quoquo modo exhibita, etenim semen, succus, ac folia, insignem ad pestilens contagium pellendum energiam ac facultatem obtinent; domestica vero odore grata, cordis vires reficere, & pestilentis aëris vitia eximiè corrigere creditur, vndè hæc vel per se sola, vel aceto conspersa, imò & acetum ipsum, cui hæc immacerata fuerit, ad aurę veneno vitiatę discrimina euitanda non modo à vulgo crebriùs assumitur, verum etiam naribus huius odore instruendis accommodatur.

CONSIMILEM in pestilente veneno expellendo efficaciam obtinere aiunt Calendulam, cuius succus duarum aut trium vnciarum pondere, salutari planè effectu sudaturis porrigitur, quam eandem virtutem Scabiosæ, Verbenæ, Carduo Benedicto, Acetosæ & Veronicæ inesse volunt auctores haud contemnendi. Angelicam, Zedoariam, Ostrutium, Carlinam, Fraxinellam seu Dictamnum album, Tormentillam, Petasitidem Vincetoxicum

Herbæ Pesti aduersantes.

Radices Pestem pellentes.

xicum Scorzoneram, Gentianam, Pimpinellam, & complures alias eiusmodi radices omnis ferè ætas ab vsu meritò semper commendauit, quod drachmæ circiter pondere, ex vino tenui, aceto, vel liquore alio conueniente potatæ, veneni vim disiiciant ac frangant, & earum quælibet sudoribus efferat.

Pestiferam toto corpore sumpta luem.

DICTAMNVS Creticus mirabili encomio à Serapione deprædicatus, magna potestate contra putredinem ac venena pollet, vndè etiam damæ intoxicatis percussæ iaculis, virulenti vulneris perniciem natura id eas docente, huius herbæ vsu pellere didicerunt, quod notasse videtur Virgilius 12. Æneid. cum ait. *Dictamnus Creticus.*

Hìc Venus indigno nati concussa dolore
Dictamnum genitrix Cretea carpit ab Ida.
Puberibus caulem foliis & flore comantem
Purpureo, non illa feris incognita capris
Gramina, dum tergo volucres hasêre sagittæ.

DATVR Scrupuli pondere ex posca Rosacea magno putredinis arcendæ argumento. Quantoperè verò Bolus Armenus, (cui terra Lemnia sigillata vulgo dicta affines vires obtinet) in peste conducat, celeberrimorum Medicorum elogiis constat, inter quos Galenus magnæ illius pestilentiæ tempore, cuius sæpè meminit, omnes ferè qui tunc sa- *Bolus Armenus.*

nati fuêre, huius quaſi beneficio periculum euaſiſſe, & à morbo liberatos fuiſſe refert, proindeq́ue ab eodem Galeno 9. de ſimpl. Med. fac. cumulatâ laude celebratur, eo vtuntur Auicenna & filius Aboali cum magna Medicorum turba horum ætatẽ ſubſequentium, porrigitur drachmæ pondere ex vino tenui, aqua Roſata vel Acetoſæ liquore diluto. Galenus eum cum aceto & aqua obtulit tanto effectu, vt multi celeriter hoc ſint curati, vtrum autem hoc ſpecificæ cuidam virtuti, an verò quod putredini reſiſtat, aut venas cordi propinquas conſtringendo, veneno aditum ad vitæ fontem præcludat id ſit adſcribendum, ſuum cuiq́ue ſit iudicium, ego vero bolum totâ ſubſtantiâ & ab intrinſecâ ſui formâ morbo peſtilenti aduerſari exiſtimauero, prout & terram Lemniam aut Strigenſem noſtram ſigillatam quæ tamen contra exhibita venena magis expetitur ſicut Bolus Armeniæ in peſtis curatione huic præfertur.

Terra ſigillata.

NOSTRIS præterea laudibus inſigniter meritò celebranda venit Camphora, non mirabile modo, verum etiam forte ac efficax peſtis Alexiterium: mirabile quidem, quod calida nè hæc ipſa ſit vel frigida, apud Medicos nondum conſtet, conſtet autẽ iam magni in medicina vſus exiſtere, vtpotè quæ fucis, oculo-

Camphora.

oculorum collyriis, vnguentis & Epithematibus refrigeratoriis plurimùm misceatur. Qui calidam hanc esse arbitrantur, ex hoc sententiam suam stabilire nituntur, quod eandem multo spiritu ac odore perfusam, & tenuissimarum partium subtilitate euanescibilem, de leui flammam concipientem & in mediis vndis eandem fouentẽ, caput ferientem, & gustu amaram deprehenderint.

Ego quid hac de re sentiam iam non expono, hoc tamen scio, me, cum eius portiunculam aliquam ægros inuisurus deglutiissem, quod me crebrô factitasse recordor, non nisi prætenuem quandam flammam intrinsecùs ardentem deprehendisse, vt proinde eam in opinionem abierim, quod sicut aër ille externus succenso ex Iuniperi, Lauri, Rorismarini, Laricis ac consimilium vel arborum, vel fruticum frondibus igne repurgatur, ita assumpta Camphora, interno nostro calore mox ignita, & in corporis quasi meditullio flagrans, coinquinatos spiritus, eosque tetros ac fœdo miasmate pollutos, aut inspiratos veneni labe aliqua contaminatos halitus cordi iam iam vicinos, ac circa præcordia hærentes exurat, & sicco planè ac igneo calore peruadens, partim dissipet & expellat, partim combustione absumat, partim vero corrigat & emendet, proindeque Camphoram inter *Camphora insigne Pestis Alexiteriũ.*

 fortissima

fortissima ac validissima pestis Alexiteria non immeritò reposuerim siue frigida hæc sit siue calida quam tamen siccam omnes fateri coguntur. Hoc autem leuiter hîc attigisse non pigebit multa in rerum natura existere remedia diuersarum partium diuersos effectus ac qualitates sortita, sicut in Absinthio, Rhabarbaro, Aloë, Myrobalanis ac compluribus aliis obseruamus, quibus præter purgandi, laxandi, ac abstergendi facultatem, insignis quoq; astringendi vis inest, vt proindè mirari desinam, cum video Camphoram iam dictam refrigeratoriis aliis associatam, sacros ignes extinguere, Erisypelata persanare, oculorum inflammationes reprimere, ac cordis quoque ac capitis perfusionibus, enchatismatis, aut Epithematibus infrigidantibus eximiè seruire, quod quidem eam insigni partium subtilitate ac penetrandi vi, reliquorum quibus hęc permisceri solet frigidorum medicamentorum vim pernici planè motu introrsum deuehente, aut viam his ipsis segnioribus ad ea loca quibus hæc assignantur parante perficere existimandum censeo, nihil interim dubitans, quin si hæc calidis iungatur pharmacis, eorum quoque operationem ac gradum æquè ac frigidorum sit plurimum intensione virtutis auctura.

Celebra-

Celebratissimus ac à plurimis magno commodo vsurpatus, & in Xenodochiis multâ (ob salutarem vsum) laude conspicuus Puluis Doctori Hesso adscriptus sic habet.

Puluis summo commodo à multis vsurpatus ex Camphora paratus.

℞ *Sacchari Candi: drachmas tres.*
Zingiberis albi: drach. duas.
Camphoræ: drachmam vnam,
M. fiat Puluis.

Dosis huius pulueris est drachma vna ex liquore conueniente, vtpote aquâ Calendulæ, Nucum, aut Scabiosæ, vel si validiorem vim postulaueris, ex aqua Bardanæ composita de qua fiet mentio. Commodissimè autem præbetur ex decocto Tanaceti cum aqua Acetosæ vel Taraxaci & aceti medietate parato. Sanè Camphora meo quidem iudicio plus (tempestiuè in Peste data) virium obtinet quam vel prætiosa quælibet medicamenta Bezoardica, etenim nihil sinit putrescere & illicò venenosos disiicit halitus, attamen in magnis capitis & ventriculi doloribus hâc cautè vtendum admonemus licet extrinsecùs frontis embrochis, spleniis, & perfusionibus hoc in morbo indita, semper nobis visa sit plurimum profuisse.

Svnt qui in Sulphure, Sale, Absinthii ac compluribus aliis eiusdem generis & farinæ magnam ponant fiduciam, quorum quidem

rationes & consilia tantum abest vt reiiciam vel improbem, vt ea vel maximè commendē.

VERVNTAMEN quia rarius his vsus sum, & quia hoc loci ea solum quæ crebro vsu profuisse didici, enumerare ac recensere statui, prolixis sermonibus supersedendum ratus, schediasma hoc in publicam vtilitatem à me diuulgatū, multorum medicamentorum supellectile ac ingenti farragine ceu cornucopiis onustum esse nolui, de quibus vulgus omninò non gaudere vel facile ijsdem abuti aut leui occasione in horum exhibitione diuersimodè peccare posset, hæc quæ & diuulgamus & tradimus in morbo tam periculoso periculi expertia, ideoque nisi insigni quadam inscitiâ, aut crassa & supina negligentiâ contrarium accidat, tuta planè ac secura esse & volentes & optantes. Sulphur sanè putredinem absumere, corpora siccare, venas permeare, ac multis aliis dotibus aduersus pestis mala pollere iam dudum nouimus, vndè & auctor pulueris illius *rubei* qui (*Cæsaris contra pestem puluis* inscribitur, sulphur satis magnâ quantitate immiscuit, & Crato ille insignis, huius ipsius multiplici prius in ceram infusione præparati vsum haud aspernatur, quin etiam puluis ille Taxicus antitoxicus à nobis appellatus, in sui compositione sulphur sibi deesse singulari de causa noluit, & eximius ille Hen-

Sulphur.

le Henricus Stapedius in curanda peste dexter valdè ac celebri nomine passim illustris, liquamen quoddam sulphuris inter solemnia sua ad pestem remedia exhibet, quod aduersus huius luis ac venenorum malignitatem probat, cuius hæc est descriptio.

℞ *Flor. Sulphuris ritè præparat: vncias duas.*
Camphoræ drach. vnam cum dimidia.
Ol. Terebinthinæ albi, vncias quatuor.
Cucurbitæ vitreæ indita simul in arena lento igne colliquescant vt in massam aurei seu crocei coloris coëant. *Balsamum Sulphuris.*

QVOD si hunc efficacem magis postulaueris, loco tepente prius digestum ex cucurbita retortum collum habente magna diligentia artificiosè oleum prolectabis cuius guttulæ duæ tresué, ex vino vel liquore conueniente propinari queant. Secretum hoc in Peste esse volunt quod sequitur:

℞ *Balsami huius vncias duas.*
Theriacæ optimæ drach. duas.
Croci drachmam dimidiam.
Misce & digere per dies quatuordecim, hoc inunge carpos, arterias temporum & axillas ac spinam dorsi, propinato simul diaphoreticum, pellit mirabiliter venenum omniaq; ἰοβόλα. *Ex Henrici Stapedii commendatione.*

Ego præter formidabilem huius balsami fœtorem, eius nimium vſum ob ingentem calorem formidarem, cum ſciam Theriacam oleo ſcorpionum ſubactam, & cordis regioni inunctam, inſignem ſiccitatem & ſitim excitaſſe. Vbi igitur Peſtilens febris magno ardore iam excanduerit ab æſtu flagrantibus medicamentis abſtinendum eſſe hortor.

Lapis Bezoar.

De lapide Bezoar, quem mortis liberatorem nuncupant, tantoperè ab Arabibus celebrato & à Serapione, Abdalahamarac, Rhaſe & ſimilibus non commendato tantum, ſed etiam ferè ſupra Theriacam laudibus euecto quod ſcribam nõ habeo, vix enim eum vnquam in aliis morbis benignioribus, nedum in peſte eos effectus præſtitiſſe vidi, quos inſignes quantumuis viri multo teſtimonio pollicentur, quod quidem noſtræ forſan ruſticitati adſcribendum nonnulli arbitrabuntur, quorum nos cœcitatẽ (ſumptuoſum quod fuerit remedium efficax quoque futurum opinantium) non immeritò admirabundi ſuſpiciemus, quem in peſtilentiâ ſæpè datum, nihil profuiſſe Crato quoq; agnoſcit. Vndè ſi optio eſſet inter Terram Sigill. & lapid. Bezoar, mallet Iordanus Bezoar dictum lapidẽ omittere, quàm terras medicatas è peſtilentium medicamentorum catalogo expungere.

Non

Non interim dubito dominum Devm insignibus donis hunc lapidem ditasse, cuius tamen energia ac facultas vel incognita nobis adhuc sit, vel applicandi aut exhibendi modus nos lateat. Proindè ne quis oportunum medicationis tempus negligat, & his nondum plenè cognitis confisus probata ac vsus experimento testata remedia quasi posthabita seponat, hæc admonere libuit. Certè morbus hic fida postulat auxilia à quibus illicò salus expectanda, quæ enim hîc segniter aguntur mortis accelerationem inferunt, & si ea quæ fida, tuta ac comperta iam sæpè fuêre cognita, parum tamen quandoque proficiunt, quomodo ea de quibus adhuc experientia titubat, salutem sint comparatura non video. Plus ego præsidii in vili, probo tamen medicamine posuerim, quam in sumptuoso & ob pretium fortè magis quàm virtutem æstimato, licet ab horum tam excellentium pharmacorum vsu non abhorream, aliis tamen longo vsu compertis medicamentis hęc admiscendo, cum quibus si prodesse non poterint, obesse tamen nequeant, & vt ijs qui se nisi magnis impensis curentur ritè ad sanitatem perductos esse vix credunt, ac multo ære constantes medicinas bibendo, in ipsis periculis superbire conantur, satisfaciam. Smaragdum quem sæpius exhibui magis forsan *Smaragdus.*

ſan laudauerim, quo etiam veteres, Arabes præſertim, & moderni quoque Medici vtuntur, exhidendo eius grana VI. vel. VIII. cuius vi malignitatem expelli fuit hucuſque creditum, licet effectus non ſemper reſpondeat, de quo Fracaſtorius. Hoc inſigniter ac momentanea quaſi vi ſemel admirabundè profuiſſe vidi.

℞ *Smaragdi præparati.*
Lapid. Bezoard. orient. ana gr. VII.
Hiacynthi præparati gr. III.
M. f. Puluis.

PORRECTVS fuit à me ex liquore ni fallor cerasorũ nigrorum, cum ægra nil quidquam ex medicamentis aliis aſſumeret, vndè & me neceſſitas ad huius pulueris exhibitionem adegit, vtpotè qui ex vnico cochleari facili negotio ſumi, ac ſine vel odore vel ſapore tranſglutiri potuerit, ſic quæ alia non admittebat remedia, hoc aſſumpto, abactis ſæuorum ſymptomatum ſeditionibus, & in ſalutem protinus conuerſo morbo, euaſit.

VERVNTAMEN aliâs haud æquè iuuit, vt proindè huic nè an verò illi hoc vel illud medicaminis genus exhibeas multum interſit, cum præſertim peſtis aliis morbis plerumque concomitata viſatur, quorum ſinguli pro

ſua

ſua quiq́ue dignitate ſint tractandi, vndè fit vt vix vnquam ſimplex medicamentum, aut ſaltem rarô(ſi morbum hunc in concreto, quatenus is aliis affectibus ſtipatus aduenit, conſideres) in totum prodeſſe poſſit, quamuis Galenus eos qui bolum Armenum bibiſſent celeriter hoc ſolo curatos fuiſſe ſcribat, etenim licet ea in peſte per ſe ſolus hic eximiè viſus ſit profuiſſe, in aliis tamen forſan longè minus & vix tantum quantum vel vilia alia medicamenta perficiet, cum tamen fieri poſſit, vt rurſus alia oriatur peſtis, in qua hic rurſus cunctis antecellat. Atque hoc eſt quod antehac admonuimus, peſtem non ſemper vnam ſui formam, nec eundem ſemper nocendi aut necandi modum obtinere, prout hæc à cauſis diuerſis nunc internis, nunc externis vt ſupra monſtrauimus eſt oriunda, ex quo concludo, ea quæ in peſte ab aëris vitio originem ducente magnam prærogatiuam obtinuiſſe videntur, in peſte quæ ex interno humorum vitio, & putrilagine gignitur, parum aliquando profutura. Originis enim ac cauſæ morbificæ diuerſitas diuerſitatē quoque medicamentorum huic opponendorum neceſſariò requirit ac poſtulat, alioquìn Empyrica planè erit morbi curatio, cum quæ ſemel conduxiſſe vidimus poſthabitis circumſtantiis quaſi omnibus, ſemper eundem effe-

Pro diuerſitate cauſarum, diuerſa medicamenta vſurpanda.

ctum

ctum habitura opinamur & confidimus. Et sanè video grauissimos viros morbi huius difficultate perterrefactos, ac abiecto prorsus animo indignabundos, cum morbum hunc inertem, rationis inuentis haud parêre cernerent, cum reliqua Empyricorum turbâ, ad experimenta (quibus tamen ipsi, quia sine ratione essent alioquin nullam vel fidem, vel auctoritatem habendã esse censuerunt) præpropero cursu confugisse, vt ea quæ ratio dictare non poterat, vsus tamen monstraret.

Vt vt sit, cum Pestis morbus existat cordi non tam vllâ manifestâ quam occultâ seu vt vocant specificâ qualitate aduersus, non negauerim pharmaca Dei dono nonnulla extare, quæ è contra insito quoque sibi ac ab ipso substantiæ modo prodeunte effectu ac energiâ contra hunc valeant ac pugnent, quod Bolo Armeno, Terræ Samiæ, Lemniæ & Silesiacæ nostræ sigillatæ veterum ac neotericorum vora tribuerunt, quæ prout semper vsurpari suadeo, sic his solis vix tamen vnquam fidendum, sed præter hæc alia quoque exhibenda esse consulo, quæ tunc ratio pluribus indicationibus pro occasione ægritudinis seruitura iudicauerit, sic enim & rationi satisfecisse, & experimentum interim, cuius ratio nondum penitus constat non neglexisse videbimur, præterquam quod quæ rationi defuisse

defuisse existimari potuerunt, experimentũ, & è cõtra in quantũ hoc ipsum ratione caruerit ex ratione administratæ medicationes adimplebũt,& dãni resarcitione redintegrabũt.

Apvd magnates multa de Cerui lachryma post centesimũ annum (prout Iulius Cæsar Scaliger vult) ad oculorum canthos accrescente ibidemq; insigniter indurata, prędicantur, qua tantos sudores prolici tradunt, vt liquescere ferè corpus videatur, magni proindè in Asia prætii, vt quod præsentissimum contra venena medicamentum existimetur. Consimilem lachrymam trium quondam granorum pondere Abenzoar in lacte, aquâ Cucurbitæ, vel Rosatâ, Azir, filio regis magistri equitum sese exhibuisse, eundemq; à virulento Ictero liberasse commemorat. Et Scribonius Largus eam Siculos venatores summo studio colligere & in cincto habere tradit, qua sese à serpentum morsibus ictibusuè reddant immunes. Scribit Theomnestus ceruos vermes intestinis hærentes, serpentium esu propulsare, cum autem hos ex antris ducto eliciant spiritu, nè virulentiâ illorum lædantur, ad fontes properare, in quos ad labra sese demergant, dum ex oculis lachrymæ profluant, quæ in angulis coagulatæ, fuluo colore, viroso odore, venulis quasi quibusdã distinctæ, ac magna leuitate præditæ concrescant.

Lachrymæ Cerui.

crescant. Sed & humanum stercus ingenita quadam sibi vi Peste correptos liberare & legisse & audiuisse me memini quod aceto dilutum, ægris magna salutis recuperandæ spe assumendum offerunt. Veruntamen cum alia semper ad manum fuerint haud æquè sordida, ab his abstinui, nec tibi ea aliter, quam ex quorundam (vti forte sibi videntur) obseruationibus commendare valeo. Mirum esset si tam sordidus morbus, tam sordido ac fœdo remedio pelli posset, sed cum natura varimodè quandoque ludat, & multa in se contineat abscondita planè, ac abstrusa, euenit, vt vile quod aliâs videbatur, subindè euadat validum. Vndè,

Stercus humanū.

Quæ neglecta iacent, pondus habere solent.

Et hæc de simplicibus medicamentis ad Pestis curationem facientibus dicta sunto.

Ex compositis porrò pharmacis quibus non antiqui solum Medici, verum etiam moderni magno multoque effectu fœliciter vsi sunt, quibusque multum fidei tribuunt, Theriacam primum locum obtinere vniuersa medicantium cohors vno quasi ore fatebitur. Sanè Galenus lib. de Theriaca ad Pison. cap. 16. vix aliud remedium aut præsidium tanto malo resistere posse arbitratus est, quem secuti Aëtius Tetrab. 4. Serm. 1. cap. 96. Paulus Ægineta lib. 2. cap. 36. Nicolaus Myrepsus

Theriaca.

sect. 22.

ſect. 22. cap. 5. & autor libri de vſu Ther. ad Pamphil. idem conſtanter affirmarunt, eiuſque ſolennis ad peſtem expugnandam expellendamque vſus tot ſeculis per mille Medicorum manus ad noſtra vſque tempora defluxit adeò vt Theriacam cæteris antidotis omnibus præſtare ſemper ſit creditum.

QVAM quidem cum veterum tum neotericorum conceptam nõ immeritò de Theriaca perſuaſionẽ tantum abeſt vt damnem, vt eam etiam mei quoque iudicii ſubſcriptione (ſi quid tamen id valere poteſt) augere ac confirmare ſatagam. Hæc enim dotes eas omnes poſſidet quæ in medicamine tanto morbo ac affectui adhibendo requiruntur, venenum enim exterminat, putredinem corrigit, cor roborat, ſpiritus reficit ac reſarcit, cardialgias, ac ſæua nonnulla ſymptomata quietat, venas celeriter permeat, noxios ichores citatis ſudoribus prolicit, viſceribus pręcipuis robur addit, calidum innatum conſeruat ac cuſtodit, prauas fuligines diſijcit, ac magnam corpori parit firmitudinem, quæ omnia in Peſtis depulſione expetuntur. Hoc autem monere conuenit, Theriacam tametſi omnibus æuis hoc in morbo ſummè ſemper expetitum fuerit remedium, cui etiam multi poſt DEVM vitam debeant, cautâ tamen, ingeniosâ, circumſpectâ & probè conſideratâ *Cautio.*

exhibitione opus habere, quãtum enim hæc ipsa ritè exhibita præstare potest commodi, tantum ferè damni patrare hæc ipsa solet; si promiscuo vulgi more, nullo vel morbi, vel naturæ, sexus, temporis aut adiacentium conditionum habito respectu porrigatur, hæc enim grauidis, puerperis, puerulisque haud quaquam tuta existit, quomodo nec iis quibus calor iam expansus vniuersum corpus peruasit, & febris pesti coniuncta iam vehementius exarsit, in his enim aucto calore febrili ac spiritibus simul & humoribus nimiũ succensis æstum augebit, & quos spiritus regenerare denuò debuerat; siccando potius vel absumet, vel dissipabit, eam igitur in his vel omninò non, vel parciore manu, aut admixtis nonnullis frigefacientibus exhibendam esse moneo, pręsertim si vetus hæc ipsa fuerit, Studui autem semper recentiorem vtpotè duorum aut trium annorum ætate gaudentem præscribere in qua vires opii nondum exoletæ symptomatum vim tamdiu reprimerent, donec reliqua antidota vires suas exererent, ac veneni magnam partem disijcerent. Cum igitur peste correpti ingenti persæpè cardialgiâ ac magnis ventriculi cruciatibus, necnon malefico vomitu immaniter torqueãtur, exhibita recentior Theriaca dolores simul compescet, sedabit vomitum

Theriaca puerulis ac grauidis noxia est.

(quo-

(quomodo & choleram morbum ſupprime-re viſa eſt) vires fulciet, ac venenum interim propulſabit.

Et licet multa Theriacæ vſum diſſuadere videantur, inter quæ primum ferè locum hoc tenet quod corporibus impuris hæc nocua eſſe ſoleat, morbus autem hic vt iam antè capite ad id deſtinato dictum eſt, tantas non det inducias vel vires, ſub quarum perſeueratione prauitatum quarundam fomes purgatione ſubtrahi poſſet, ego tamen eius vſum vix vnquam omiſero ita tamen accommodatum, vt ſi hanc maioris boni expectatione porrexero, & damnum aliquod haud multum reſpectu prioris graue adſciuero aut intulero, idipſum artis dexteritate de cætero facilè ſit reſarciendum, non igitur ego calorem Theriacæ niſi in jis qui extremè iam æſtuant, formidauero, cum enim maius à veneno quàm à febre periculum impendeat, morbus autem hic plus veneni quam caloris habeat, cumq; Theriaca plus in veneni depulſione conducat quàm febrem inflammando ac intendendo officiat, diuinam ego quandam quaſi vim, huic in abigenda malignitate ac virulentia vnà cum Auicenna adſcripſero, quæ quidem cum primæ nobilitatis in hoc caſu exiſtat, & longiſſimi æui periclitatione plurimum ſit commendata, nobis quoq; dextrè hac vten- *Theriacæ laus.*

tibus longè erit commendatiſſima, cum præſertim ignauia medicamenta in peſte mortis occaſionem introducant vel accelerent, cum tempus medicationi oportunum ſegnibus medicinis impenditur, cum tamen morbus illicò validiſſimis remediis oppugnari meritò & euinci debeat.

Mithridatium. NEC verò minorem laudem meretur Damocratis illud Mithridatium ſenio medicinas compoſitas pleraſque excellens & multo annorum teſtimonio clarum, veruntamen id etiam recentius exoptauerim ſicut & Theriacam vt in his opij virtus nondum ſit penitus quaſi repreſſa, media enim ætate & Theriaca & Mithridatium mediocrē quaſi temperaturam obtinent vſui noſtro hoc loci accommodatiſſimam.

QVOD ſi verò hæc antidota recentiora non adfuerint poſſunt eadem additis granis pauciſſimis Pilularum de Cynogloſſa, aut adiecto modico phylonio recentari, vt caloris quem ętatis progreſſu acquiſiuerunt gradum nonnihil demittant, nec ęſtus introducti metu euadant formidabiles.

MAGNA hæc veterum remedia ac auxilia è veſtigio conſequitur Electuarium illud Fracaſtorij Diaſcordium appellatum quo cōfidenter me ſemper vſum eſſe profiteor, etenim præter inſignem quam in hoc malo pel-

Diaſcorium Fracaſtorii.

lendo

lendo vim obtinet, corpus nullo vehementi calore, vt Theriaca vel Mithridatium perurit, vndè & puerulis, grauidis, ac puerperis tutum, securum, ac salutare medicamentũ existit, putredinem corrigens, venenum pessundans, sudores absque magna humorum agitatione proliciens, grauia symptomata cephalæas præsertim ingentes sedans, & multo nobis vsu compertum, cui plurimum tribuendum esse censemus non immeritò. Describitur ab eius auctore Hieronymo Fracastorio lib.3.de morb.contagios.cap.7. qui idipsum vel desperatis summè commendat & hoc modo exhibet.

℞ *Succi Luiulæ Oxydis seu Acetosellæ vncias duas.*
Citri vnciam vnam.
Diascordii drach. vnam.
Specierum cord. è gemmis scrup. duos.
Aceti vnciam vnam.
Omnia misceto & totum haurito.

QVANTIS porrò viribus polleat Electuarium illud de Croco & Ouo ad Maximilianum Imperatorem P. F. August. relatum, vsus persæpè docuit, in hoc enim præter alia ingredientia Myrrha, Crocus, & Camphora, insigniter contra veneni & putredinis mali- *El. de Croco & Ouo.*

tiam pugnant, si præsertim in constitutionibus calidioribus ad calorem eius nonnihil contemperandum cum Syrupo de succo Acetosæ aut Limoniorũ nec non Aceto Sambucino, Rosato, vel è florum Tunicæ immersione parato, ac Oxydis seu Luiulæ aquâ sudaturis porrigatur.

Cvm porrò Camphora nonnullis naturis aut personis nonnihil infensa aduersaque esse soleat, admonendum hic operæpretium esse ratus sum, vt animaduersâ cuiuslibet conditione, pro singulâ ægrotantium naturâ remedia permutentur, his enim qui Camphoram non commodè ferunt, vtpotè qui infirmo sunt valdè ventriculo, & capite admodum languent, Diascordium aut alia antidota Camphoram vel omninò non, vel in parua quantitate suscipientia longè erunt salubriora. Alioquìn (pace omnium dixerim) hoc ipsum de Croco & Ouo Electuarium Theriacæ in Peste interdum, æquauerim. Multa quoq; laude illustris est Theriaca illa Arnoldi de villa noua à Guidone in tractatu de Apostematibus tract. 2. doctrina 2. cap. 5. descripta, alioquìn Electuarium Papæ vocari solita, quâ se Guido in magnâ pestilentiâ vsum & auxiliante Deo à peste præseruatũ esse refert. Hanc magno quoque emolumento sæpius drachmarum duarum pondere in peste Ve-

Electuarium Papa.

neta

neta Anni 1577. exhibitam fuiſſe clariſſimus Hieronymus Donzellinus commemorat, cuius deſcriptio ex Antidotario Auguſtano aut Norimbergico, vel ex Guidone loco ſupra allegato, petenda.

Conſimiles penè vires obtinent celebres compoſitiones aliæ vtpotè Antidotus Matthioli, Theriaca communis ſeu Auguſtana ex pulchris ſimplicibus aſtructa. Electuarium, Alexipharmacum D. Angelbergii & Camphoratum illud D. Kegleri, ac Antidotus illa curatiua ſic habens.

℞ *Antidoti Matthioli libram vnam.*
Camphoræ vnciam vnam.
Sulphuris viui præparati. Scrup. duos & grana quinque.
Fol. Auri numero quinque.
Argenti numero ſex.
Boli Armeni vnciam dimidiam.
Cum Syrupo de ſucco Citri fiat Electuarium.

CELEBERRIMI vſus quoq; ſunt pulueres illi tot laudibus decantati, ac multo rerum vſu ſolennes, vtpotè puluis Rubeus Pannonicus, & Bezoardicus dictus apud Nicolaum, quin etiam puluis Griſeus Cæſaris, & Rubeus eiuſdem, ambo contra peſtem inſcripti, quorum poſteriore noſtræ ciuitatis Medici anno 1572. frequenter quoque ſunt vſi.

Pulueres medicati. Sed & magnæ quoque famæ nec à nobis negligendus, imò commendandus ille puluis Saxonicus, eximiam laudem meretur, vtpotè qui in deleteriorum venenorum amolitione plurimum visus sit præstitisse, & proindè multorum encomio illustris euaserit, is à Moibano describitur, & in Dispensatoriis passim annotatus officinas pharmaceuticas, exornat, huic succedunt Species Liberantis, Cordiales Alexandrini Benedicti, & quæ Temperatæ dicuntur, nec non de Gemmis ac alia his similia medicamenta.

MVLTVM etiam valere creduntur, Theriaca Diatessaron, Esdra, Antidotus, Ægyptiaca, Climax seu scala sacra dicta, Electuarium Alexipharmacum Fernelio inuentore, & Electuarium à Ioanne de Vigo, lib. 2. cap. 20. descriptum, & Electuar. Iacobii Ricii à Nicolao Massa publicatum, talique encomio ab eodem deprædicatum, vt neminem qui hoc vsus sit mortuum esse asserat.

Damocratis medicamentũ ex sanguinibus. AB aliis commendatur peruetustum illud Damocratis medicamentum apud Galenum lib. 2. annotatum, ex sanguinibus conflatum, quod doctissimus simul ac solertissimus Ioannes Pistorius Niddanus sic rectius componi arbitratur.

℞ *Sanguis*

℞ *Sanguinis ſicci Anatis maris & fœminæ.*
Anſeris.
Hœdi.
Rutæ ſylueſtris.
Sem. Cumini.
Fœniculi.
Anethi.
Napi.
Rapi.ana.drachmas tres.
Rad. Gentianæ.
Trifolii.
Schœnanthi.
Thuris.
Roſarum rubrarum.
Dictamni albi.ana drach.quatuor.
Piperis albi, & longi.
Coſti.
Valerianæ.
Sem. Aniſi.
Cinnamomi. ana.drach.duas.
Myrrhæ.
Nardi Indicæ.ana.drach.ſex.
Laſeris odorati.
Ammoniaci. ana.drach.tres.
Sampſuchi.
Agarici troch.
Rad. Chamæleontis albi. ana.drachm. duas.
Ireos.

Croci.
Rhabarbari.
Zingiberis.
Masticbes.ana.drach.vnam.
Stœchados drach.quinq;.
Carpobalsami scrupulum vnum,
Trita cum melle coëant in confectionem liquidam forma Opiatæ.

SVNT qui æmulatione Dioscoridei δι' αἱμάτων à Galeno libro de Antidotis descripti Ciconiarum, Gallinarum serpentibus nutritarum & Melium sanguinem hoc nomine commendent. Vndè puluis ille Taxicus, Antitoxicus à nobis appellatus, magna sanitatis recuperandæ pollicitatione ægris propinatur, vt quo tempestiuè sumpto, qui promptè exudarint, protinus liberari credantur. Is sic habet.

Puluis Taxicus antitoxicus.

℞ *Sanguinis Taxi in vmbra exiccati vnciam vnam & semis.*
Croci vnciam semis.
Sulphuris viui drach.vnam.
M. f. Puluis.

DANTVR scrupuli duo ex aceto & corpus ad sudorem componitur.

GALENVS lib.2. de Antidotis è Scinco medica-

medicamentum proponit, qui idem medicamentum δι' ἀρκευθίδων Nicomedi Regi Bithyniæ attributum recenſet tali elogio, vt ſi venenum in corpore non repererit, quieſcat, ſin minus, vomitu perturbet. Conſtat autem id è Terra Lemnia, & Iuniperi baccis, oleo vel melle exceptis ac coadunatis. *Medicamentum ex Scinco.*

INTER approbata pharmaca quibus peſtẽ debellandi facultas à domino DEO conceſſa eſt, non immeritò refertur Electuarium illud quo Crato vſus fuiſſe legitur, quod ſic habet.

℞ *Scordii drachmas tres.* *El. Cratonis.*
Tormentillæ.
Diptami albi.
Zedoariæ.
Gentianæ.
Angelicæ.
Caryophyllatæ. ãna. drachmam vnam.
Croci.
Camphoræ. ãna. ſcrupulos duos.

Pulueriſentur omnia ſeorſim & commiſceantur aſpergantur q; aqua Cardui Benedicti, in qua diſſoluta fuerint Theriacæ drachmæ duæ, & cum ſufficienti quantitate Syrupi de ſucco Cardui fiat Electuarium.

Puluis Florentini cuiuſdam Medici celebratiſſimus hoc modo componitur.

Puluis Florentius. ℞ *Boli Armeni orientalis in aqua Scabiosæ loti.*
Zedoariæ.
Diptami.
Tormentillæ.
Zingiberis.ãna.drachmam vnam.
Camphoræ grana. 25.
Misce fiat puluis cuius drachma propinetur ex aqua Cardui Benedicti.

Puluis Cratonis laudatissimus his constat.

Puluis Cratonis. ℞ *Rad. Tormentillæ.drachmas tres.*
Diptami albi.drachmas duas.
Boletor: Cerui.
Santali rubri.ãna.drach.vnam.
Camphoræ.scrupulos duos.
Misce f. Puluis cuius dosis sit drachma vna ex liquore conueniente.

Bonus etiam est hic puluis.

℞ *Seminis Napi.*
Citri.ãna.drachmam vnam.
Cornu Cerui.
Ossis de corde Cerui. ãna. drachmam dimidiam.
Zedoariæ scrupulum vnum.
Misce fiat Puluis.

Pro osse de Corde Cerui nonnulli Margarittas substituunt, alii maiores non immeritò vires Monocerotis cornu obtinere volunt, veruntamen aliorum hac de re opiniones studiosè potius audire & arrectâ magis au-

gis aure attendere nobis & libet, & expedit. Ossa in Cerui corde formâ ferè crucis reperiri certũ est, attamen cum eiusmodi siue ossa, siue cartilagines induratę in aliis quoque animantibus adinuenire liceat, fit vt metu deceptionis (cum facilè pro veris falsa sit substituere) pharmacopoliorum inspectores & eorundem dynastę certiora ac talia quidem quibus fidem dudum fecit experientia, quæque oculari inspectione ab adulteratis, dignosci ac discerni possent, sufficere ac substituere fuerint coacti. Lapis Bezoar è caprarum Indicarum folliculo felleo, vel stomacho erutus, facili ferè technâ, lapidum ab equis simili planè formâ & magnitudine quandoque insigni prodeuntium æmulatione, sua laude qua magnatibus is olim commendatus extiterat, defraudari potest.

Os de corde Cerui.

CONSIMILES politos lapides equus illustris ac generosi domini Baronis cuiusdam hac ipsa in ciuitate quotannis per ventrem excreuit, quales alii quoque equi, molis satis magnæ in sese continuerunt, qui post mortem dissecti, tanti (prout videri potuissent) pretii lapides Bezoar nobis reliquerunt, vt sui corporis, virtutis, ac agilitatis, & æstimationem, & existimationem centuplo lapidis in sese contenti valore videantur recompensasse.

Mira de equo qui lapides Bezoardicis persimiles quotannis per ventrẽ excreuit.

Tales

Tales quoque lapides, Bezoardicis simulachro, colore, ſubſtantiâ, ac nitore æquiparandos, Crato & præter hunc alii quoque viderunt. In vilibus ac parui momenti rebus fraus locum vix habet, deceptionis enim labor deceptorem non alit, at in magnis ac multæ æſtimationis queq́ue multo ære comparantur medicamentis, omnis nebulonum occupatio & vigilat & laborat ſedulò. Atque hæc vna eſt ex cauſis iis, quare lapidi Bezoardico ſoli, ne in febre quidem ſimpliciter auſteriore vel parum malignâ, nedum in peſtilente fidere vnquam vel voluerim, vel potuerim, licet verum lapidem Bezoar nõ contemnam ne cum aliorum doctiſſimorum virorum experientiis certare videar.

Consimilia figmenta complura in Medicinam clam irrepſerunt, quæ vanâ ſpe & Medicos, & ægros nõ modo aliquandiu fruſtra lactarunt, ſed etiam funebri exitu præcipitarunt. Idq́ue non per ſe primò, vtpotè quibus ſi non iuuandi, nocendi tamen vis vlla vix inſit, ſed quod Medicos his titularibus potius quam auxiliaribus medicamentis inſiſtentes, alia efficaciora præſidia negligere fecerint, ægrotantẽ autem his ipſis confidentem nulla ſubſidiaria pharmacorum aliorum idoneorum ope gaudere prohibuerint.

De Monocerotis cornu tanta traduntur

vt

vt admirationem noſtram ſuperent, ego in Peſte eius periculum non feci, ne pauperibus (qui vt plurimum hac lue laborarunt) vnà cum vita & ſumptus, & curta ſupellex diffluere, aut ſi ſalui euaderẽt, vndè vires recuperare poſſent, nõ ſupereſſet. Scio tamẽ conſimile cornu qualecunq; id tandẽ fuerit, menſtruis nimiũ fluentibus exhibitum, non hęmorrhagiã modo vteri compeſcuiſſe, ſed etiam exolutionibus ac lipothymiis auxilium haud leue attuliſſe, quod ipſum etiam Ebur poteſt ac præſertim foſſile multa aſtrictione pollens. Et quis quæſo Monocerotis cornu extare nõ diffidat? cum, an animal vnquam tale poſt diluuium extiterit, docti viri multum dubitẽt. Romanorum Pontificum, Ventorum, ac Regum Galliæ ad S. Dionyſii delubrum & inter theſauros conſimilia cornua repoſita magnâ cùm diligentiâ cuſtodiri, tum admiratione ſpectari non ſum neſcius, an autem hæc ipſa vel balænarum oſſa ſint, vel à Cetacei generis piſcibus in profundo maris emortuis, ac in littus reiectis ibique muriæ alluuione prolutis, nec non ſalo perſæpe tectis, ac arenâ & ſole toſtis, & quod plus eſt carioſa teredine ſtriatam ac contortam in formam figuratis ac tenui ſabulo in planiciem ſat lucidam perpolitis, non ſint forſan deprompta ſuſpicor. Alia quædam animalia vno cornu prædita extare *Vnicornu.*

quidem

quidem tradunt historię prout de Rinocerote corneâ quadam crusta conuestito ac cataphractato referunt.

Animal equi iubam habens ac vnum cornu gerens venenis depellendis expetitum non longè à promontorio Bonæ spei visum narrat Garzias ab Orto Proregis Indiæ Medicus, & Philostratus in vita Apollonii Thyanæi ad Colchos circa Phasidem fluuium asinos vnum cornu gestantes, caput ceruo, pilos verò mustelæ similes habentes, qui cum Elephantis pugnare audeant, reperiri testatur, ex his cornibus Reges forsan Indorum crateres & pocula conficere consueuisse nonnulli colligunt, hoc argumento, quod si quis ex consimili scypho biberet, à morbis, flamma, venenis ac vulneribus ea die sese tutum forè confideret. Vndè Angelus Bargæus in Cynægetico,

——— ——— — vnoq; in fronte superbi
Cornu, quod Reges Indorum protinus aureis
Orbibus includunt, & vina liquentia potant.
Ac tum nec morbos tuti sentire feruntur,
Nec quæ inter mensas occulta hausêre venena.

Verbenæ succus cum Theriaca datus egregiè pestilentis luis malignitatem pellit, prout & decoctum Radicis Chelidoniæ aut Corticis mediani Sambuci cum aceto paratum, in quo postmodum Theriaca dissoluatur

tur, etenim Theriaca decocto corticis Sambuci indita, vim deiectoriam & purgantem ei adimit. Probatur etiam decoctio Tanaceti, & Puluis Cheyri drachmæ dimidiæ pondere ex liquore commodo propinatus. Vulgus Rob Ebuli & Sambuci cũ Croco & modicâ Theriacâ, vel Electuario de ouo commodè vsurpat, pro quo tale Electuarium sudorificum parari poterit, quod his constet, vili pretio coëmendum. *Rob Ebuli & Sambuci.*

℞ *Rob Ebulini.*
Sambucini ãna. vncias sex.
Fol. Scordii. vnciam mediam.
Rad. Pimpinellæ.
Tormentillæ.
Dictamni albi.
Angelicæ.
Carlinæ.
Zedoariæ.
Boletorum Cerui.
Corticum Citri.
Seminis eiusdem. ãna. drach. duas.
Camphoræ, drach. vnam.
Myrrhæ.
Croci. ãna. scrupulos quatuor.
Theriacæ Andromachi. vnciam vnam semis.
Radices prius infundantur per horas 24. in aceto Na-

to Nucum, posteaq; exiccentur & in pulnerem redigantur, iunganturq; cum prædictis, & ex sufficienti quantitate Syrupi de succo Scordii, & Limoniorum fiat Electuarium, de quo dentur drachmæ duæ cum decocto Cardui Benedicti, Acetosæ, Verbenæ, Calendulæ, Tanaceti, aut Hederæ terrestris cum aliqua portione aceti Rutacei.

CONSIMILIVM compositionum ingens apud Practicos sylua prostat, nos hic probatiora tantum adferre voluimus, cum reliqua passim ex eorum libris peti queant. Attamen perpulchra alia nihilominus subnectere libuit haud ita vulgaria, quorum lectorem quoque fideliter participem facere voluimus, ne quidpiam vel occultasse, vel pro aucupanda leui aliqua & inani gloriola boni in publicam vtilitatem erogandi portionem aliquam abdidisse & lucernam sub modio collocasse videamur.

Aqua Stapediana prima.

INTER hæc autem primas tenet aqua illa Theriacalis clarissimo D. D. Stapedio inuentore, cuius tam in præseruatione quàm in curatione tanta vis est, vt nobilia quantumuis medicamenta alia, multum superet, ac longo post se interuallo relinquat. Eius hæc est descriptio.

℞ *Theria-*

℞ *Theriacæ Andromachi.*
Mithridatii Damocratis.ana.vncias sex.
Pulueris Electuarii de Bolo apud Ioubertum.
Bezoardici apud Nicolaum. ana. vncias duas.
Aquæ vitæ per balneum bis distillatæ.
Vini Maluatici.
Aceti Rutacei.ana. libram vnam.
Succi Radicum Pimpinellæ.
Limonum.ana.vncias sex.

SIMVL in balneo torido distillentur lento igne, ac stillatitio huic liquori conseruato in phialâ vitreâ immisce Theriacæ veteris vncias sex, maneantque sic simul omnia, vt in fundo Theriaca quiescat. Hæc aqua quò vetustior & antiquior fuerit, eò melior existet. Datur adultis vnciæ vnius pondere, atque vt ab eius assumptione sudent præcipitur, reiteraturque eius assumptio die sequenti, & tertiâ, quousque Bubo aut Carbunculus eruperit, aut is ipse maturior factus vel apertus sese expurgauerit. Iunioribus dimidia dosis suffecerit.

Quandoquidem verò hæc aqua ob magnam Theriacæ quantitatem satis pretiosa existit, ideò eius auctor aliam hâc viliorem astruxit, quæ sic habet.

℞ *Conditi pro familia Stapediana, libras duas.*
Aqua Stapediana secunda. *Aquæ vitæ semel in balneo extractæ.*
Vini Maluatici.
Aceti Rutacei.
Succi rad. Pimpinellæ.
Limonum. ana. libram vnam.
E balneo vt de priori dictum, liquor euocetur, cui permisceantur Theriacæ veteris, unciæ quatuor, resideatq; per quietem in fundo Theriaca. Datur paulò maiori pondere si corpora robusta sint, alioquìn æqualis vsus fuerit.

Conditum pro familia Stapediana hoc modo concinnari debet.

℞ *Granorum Iuniperi vncias sex.*
Caricarum pinguium numero duodecim.
Nucleorũ Nucum Iuglandiũ vncias octo.
Conseruæ florum Boraginis.
Buglossæ. ana. vncias quatuor.
Theriacæ veteris.
Mithridatii optimi. ana. vncias duas.
Radicum Tormentillæ.
Gentianæ.
Pimpinellæ.
Angelicæ.
Zedoariæ. ana. vnciam vnam.
Cum Syrupo de Limonibus f. Conditum.

Quantum

QVANTVM his medicamentis tributum sit ab omnibus, quantumque hæc ipsa in pellendâ malignitate (DEI beneficio) possint ac valeant, experientia manifestum fecit, quæ & alias quoque aquas vsu comprobauit, vtpotè Pestilentialem seu Theriacalem Bezoardicam in Dispensatorio Augustano descriptam, & aquam Theriacalem Lugdunensem, clarissimi viri D. Iacobi Dalechampii insigni encomio celebratam, nec non aquam Scordii compositam, ab insigni & supra modum docto viro D. Petro Salio commendatam, & in Antidotario Norimbergensi annotatam, vbi quoque complures alias magnarum virium aquas reperire licebit, nempe aquam Theriacalem Rondeletii, & aliam Syluii, nec non Acetum Theriacale, quæ quidem compositiones omnes ad tetrã hanc luem pellendam à diuersis auctoribus sunt excogitatæ.

INTER cęteras porrò compositiones solemniores annumeranda quoque venit aqua sudorifera celeberrimi viri D. Cratonis à Kraftheim Medici Cæsarei, quæ sic habet. *Aqua sudorifica D. Cratonis.*

℞ *Rad. Angelicæ.*
Magistrantiæ, vel Carlinæ.
Gentianæ.
Tormentillæ.

Boleti Ceruini.
Zedoariæ. ãna. vncias duas.
Trium Santalorum. vnciam vnam.
Theriacæ optimæ.
Mithridatii optimi. ãna. vncias tres.
Camphoræ, scrupulos duos.
Moschi, scrupulum vnum.
Spiritus vini, libras tres.

Stent in infusione per mensem, postmodùm colentur, & liquor vsui asseruetur. Datur præseruationis loco ad pauculas guttulas in medulla panis, in curatione vero ad drachmas sex vel vnciam vnam cum aquâ aliquâ appropriatâ.

CONSIMILEM aquam habuit Ludouicus de leonibus hâc tamen minus præstantem, pro cuius tamen communicatione multos accepit aureos. Hercules Saxonia sic suam parat.

Aqua Herculis Saxoniæ.

℞ *Succorum Boraginis.*
Buglossæ.
Melissæ.
Acetosæ.
Oxylapathi.
Trinitatis.
Bistortæ.
Cyani maioris & minoris.
Rutæ Capraria.
Calendulæ.
Limonum.

Citri.

Citri.ãna.libram vnam.
Aceti, libram vnam cum dimidiã.
Seminis Citri vnciam mediam.
Portulacæ, vncias duas.
Florum Nymphea.
Violarum.
Rosarum.ãna.vnciam vnam.
Terræ sigillatæ.
Boli Armeni orient.
Terræ Samiæ.ãna.drachmas tres.
Specierũ Diatrion, Santalon.drach.duas.
Camphoræ drachmam vnam.

Infundantur species in succis prædictis, & macerentur per horas 24. deindè distillentur in duplici vase. Dosis vnicæ tres. Aquam Theriacalem hæc sequens imitatur.

Aqua alia sudorifica.

℞ *Rutæ Capraria.*
Veronicæ ãna.manip.duos.
Rad. Altheæ.
Tormentillæ.
Angelicæ.ãna.vncias octo.
Theriacæ optimæ, vncias tres.

Incisis incidendis infundantur omnia simul in vini Maluatici libris octo per horas 24. Abhinc diligenti distillatione aqua prolectetur, cuius vncia vna cum Syrupo de Limonibus, & modico aceto ægris exhibeatur qui sudoris euacuatione indiguerint. Alioquìn Radices Bardanæ & Vincetoxici vnâ cum corticibus Fraxini

aceto prius irrorata aliquantisper simul macerantur, ex iisque liquor sudori eliciendo percõmodus distillatione prouocatur, quem aquam Bardanæ compositam nominare consueuimus.

Chylostagma nostrum Diaphoreticum, quo in delicatis naturis, puerulis ac infantibus, in variolis præsertim & morbillis euocandis ac extrudendis, nec non in pestifero morbo commodè vsi sumus, sic sese habet.

Chylostagma Diaphoreticũ ex nostra inuentione.

℞ *Succorũ Nucum Iuglandiũ immaturarũ.*
Limoniorum.
Acetosæ.
Pimpinellæ. singulorum libram vnam cum dimidiâ.
Cardui Benedicti.
Scordii nostratis.
Rutæ. ãna. libram vnam.
Scabiosæ.
Hederæ terrestris.
Calendulæ.
Melissæ hortensis odoratæ. ãna. vncias octo.
Chelidoniæ.
Galegæ.
Aceti de Rubo Idæo.
Sambucini.
Rosati. ãna. vncias quatuor.

Rutacei, libram vnam.
Radicum Tormentillæ.
Gentianæ.
Dictamni albi. ana. vncias duas.
Vincetoxici.
Carlinæ. ana. vncias duas cum dimidia.
Petasitidis.
Ostrutii.
Angelicæ.
Zedoariæ.
Cort. Citri. ana. vncias tres.
Boletorum Ceruinorum, vncias duas.
Folior. Dictamni Cretici.
Scordii Cretici.
Chamædryos. ana, vnciam vnam.
Santali Citrini. drachmas tres.
Ligni Rhodii puluerisati. drach. duas.
Theriacæ Andromachi, vncias duas.
Mithridatii Damocratis. vnciam vnam.
Baccarum Iuniperi recentium. libram vnam.
Corticum medianorum Sambuci, recentium.
Fraxini recent. ana. manipulos tres.

Cortices Sambuci & Fraxini vna cum baccis Iuniperi contundantur in mortario vehementer, & extrahatur indè succus cum sufficienti quantitate Aceti de floribus Tunicæ, aqua Pimpinellæ & Rosarum, sumendo singulorum partes æquales. Hic expressus succus permisceatur cum succis & liquoribus suprà commemoratis,

 dilua-

diluaturq; in his Theriaca & Mithridatium: tandem verò cætera incisa & contusa in succis & liquoribus iam dictis infundantur, atque iis sic tridui spatio immacerentur, postmodum lento roridi balnei calore per distillationem liquor euocetur, in cuius medietate suspendatur Camphoræ in nodulo serico ligatæ drachma vna, altera medietas pro iis qui Camphoram non ferunt, seorsim reseruetur. Notandum autem vbi Galegæ & Scordii succus defuerit, posse in illorum locũ *Verbenæ & Veronicæ succum* substitui. Datur adultis ad vncias duas, cum pulueris Electuarii de Bolo, Specierum Liberantis, Cordialium Alexandrini Benedicti aut alterius consimilis scrupulis duobus vel drachmâ vnâ & Syrupo Acetositatis Citri aut Limoniorum, atq; vt sudent præcipitur. Puerulis, hoc ferè modo præscribitur.

℞ *Pulueris Rubei Pannonici.*
Specierum Cordialium temperatarum.
De Gemmis frigidarum, ãna. scrupulum dimidium.
Syr. Acetositatis Citri vnciam vnam vel drachmas sex.
Chylostagmatis iam dicti Diaphoretici.
Aquæ Acetosæ. ãna. drachmas sex.

Hauriat & sudet. Pro ratione tamen ætatis & virium, horum omnium dosis est vel augenda vel minuenda.

Valen-

Valenter hæc aqua ſudorem pellit, & iucundè valdè aſſumitur, nec vehementi calore viſcera perurit, ſubtilitate nihilominus (quas habet) partium corpus vndiq́ue celeriter peruadens venenoſitatem diſiiciens, putredinem emendans, ac conceptam virulentiam propulſans, quæ interim cordis etiam robur tuetur, & ſpirituum vitalium exolutionem fieri prohibet. Et nos eam quidem publicæ vtilitatis ac Chriſtianę charitatis ſtudio impulſi, omnibus libellum hunc lecturis ſyncerè ac candidè ideò libenter communicare voluimus, vt boni participatione fidelitatis, familiaritatisq́ue creſcat auctoritas, quæ turpi quandoq́ue liuore fœda, apud nonnullos (qui ſi in publicum commodum boni aliquid vel proferre nolunt vel non poſſunt, ea tamen quibus ciues iam dudum gauiſi ſunt vel adhuc gaudere poſſunt, quodammodo ſuffurari & abſcondere, ac neſcio quo in taciturnitatem quandam (vt ſibi videri volunt) permutato odio, clam pro ſui quadam ſingulari gloriola occultare conantur) obſorduit. Tu verò candide lector, cui omnia patere volumus, ſi vel minimum in Medicina verſatus fueris, hæc ipſa ſtudiosè penſitans, ritè ea adinuenta, conſtructa, ac ſalutari vſui accommodata cum cernes, iis cum ratione noſtro hortatu vtere, nobis enim vel vnquam in animo

mo est ea tradere, quæ vel inexplorata vel minus tuta esse possint, sed talia à quibus corporis salus DEI beneficio non immeritò expectanda, nihilque mali metuendum siet, vtpotè quæ si non prodesse, obesse tamen non facilè possint.

Syrupus Diaphoreticus.

Syrupus Diaphoreticus seu sudorificus hoc modo parari & in commodam vtilitatem sic componi poterit.

℞ *Succi Acetosæ.*
Limoniorum. ãna. libram vnam.
Cardui Benedicti.
Pimpinellæ è radicibus.
Calendulæ.
Scordii.
Rutæ.
Verbenæ.
Nucum Iuglandium immaturar. vel corticum earundem in diebus canicularibus decerptarũ. ãna. vncias quatuor.
Aceti Sambucini. Vncias octo.
In succis & liquoribus infundantur per biduũ.
Rad. Angelicæ. vnciæ quatuor.
Zedoariæ.
Corticũ Citri. ãna. vncia vna cũ dimidià.
Seminis Citri. drachmæ sex.

Stent sic simul in infusione loco quieto, vt quæ crassæ faeces succis insunt resideant, exindè liquor

quor purus à sordibus in fundo relictis separetur, & hoc facto diligenter percoletur, & cum sufficienti quantitate sacchari coquatur in syrupum, qui sub finem aromatisetur ex Santali Citrini drachmis duabus, Macis scrupulo vno & Croci scrupulo dimidio. Ligentur hæc in nodulo & inter coquendum cum prædictis sub finem ferueant. Præbeantur huius Syrupi vnciæ circiter duæ cum aqua Acetosæ, Cardui vel Bardanæ compositâ, quæ ex cort. Fraxini Radicibus Bardanæ & Vincetoxici concinnatur, addito aceto Sambucino, Rosato, Iuniperino, vel Theriacali in Antidotario Norimbergensi perquirendo.

SVNT qui Chynam cum Tamarindis ex aqua Limonum coquant ac sumptis decocti huius vnciis quinque sudent. Vel accipe aquę Theriacalis succi Acetosæ & Calendulę ãna. vnciam vnam, aceti Sambucini vnciam semis, id hauriat illicò. Nonnulli ex vulgo fimum vaccinum recentem aceto dissolutum exprimunt, & confestim potandum tradunt, quo experimento complures sanatos esse profitentur cum vix quidquam æquè sudores vbertim proliciat. Elegans remedium hoc est.

℞ *Rad. Carlinæ.*
Cardui Bened.
Dictamni Cretici, ãna. drachm. duas.

Lapidis

Lapidis Bezoardici.
Croci.ãna.scrupulum vnum.
M. f. Puluis cuius dosis sit drachma vna cum decocto Scabiosæ, Pentaphylli aut Acetosæ.

LICEBIT hìc, loco Bezoardici lapidis Margaritarum, Corticum aut seminum Citri duplum pondus substituere. Pulchrè ad rem facit aqua sequens.

Aqua præstans ad Pestilentiam.

℞ *Cardui sancti.*
Pimpinellæ.
Betonicæ.
Verbenæ.
Scordij.
Acetosæ.
Melissæ.ãna.manip.vnum.
Santali albi.
Ligni Aloës.
Gentianæ.
Zedoariæ.ãna.drach.duas.
Succi Limonum & Pomorum. ãna. vncias quatuor.
Theriacæ.
Mithridatii. ãna vnciam vnam.
Confectionis de Hyacintho. vnciã semis.

Dissoluantur æquali portione vini odoriferi & decocti Scordii & diem naturalem sic macerata distillentur vase duplici. Dosis vncia vna cum Syrupo Acetos:Citri. Huc refer aquam mirabilem à Guainerio in lib. de Peste cap. de

Aqua mirabilis Guainerii.

Bezoar-

Bezoardicis descriptam, ac alias eiusmodi compositiones propemodum infinitas.

Nonnulli Margarittas, Corallos, lapides pretiosos, & Camphoram Theriacæ addunt quod hæc istis careat, sanè Camphora cum Theriaca tempestiuè exhibita plurimum operatur. Aliqui Philonium adiiciunt, nam & Opio vnà cum Antidotis exhibito, vim quandam sudorificam inesse volunt.

HEVRNIVS hoc commendat quod sequitur. *Heurnii medicamentum.*

℞ *Aq. vitæ libram vnam.*
Theriacæ. vnciam vnam semis.
Myrrhæ rubeæ. vnciam semis.
Rad. Petasitid: modicè exiccat: vnciã vnã.
Spermatis Ceti.
Terræ Lemniæ. ãna. drach. vnam.
Rad. Vincetoxici. drach. duas
Dictamni.
Valerianæ.
Ostrutii. ãna. drach. vnam semis.
Camphoræ. grana septem.

Crassiusculè puluerisata infundantur vitro probè clauso, & loco frigido per octiduum macerentur. Dosis à semicochleari ad cochlearium vnum, cum aliqua portione aquæ Acetosæ, Rosarum, Calendulæ, Nucum aut Cardui, nec non granis aliquot salis Absinthii aut Scabiosæ vel Fraxini.

Atque

ATQVE hæc omnia prudens Medicorum opera pellendis ſudoribus dedicauit; quod ſudorem in ſpeciebus apoſtematum timoroſorum & apoſtematibus viſcerum (vt Auicenna loquitur) bonæ ac ſalutaris criſis vicem gerere didiciſſet.

ET iam ſudorificorum claſſis videtur pro loci huius ſufficientiâ ſat copioſè tractata & abſoluta, ſi modo ſpagyricorum non omiſſa forent remedia, quibus tantam promiſſionem hi ineſſe volunt, vt certam nobis ea ſalutis ſpem præbere poſſe non diffidant. Multa ſunt quæ de Stibio ſeu Antimonio Diaphoretico, de Sulphure, de Vitriolo ſingulariter præparato, ac de ſulphure ipſius, & de ſaliũ diuerſis generibus prædicantur, inter quæ ſal Fraxini, Abſinthii, Verbenæ, Chelidoniæ & ſimilium magnas vires habere creduntur, quæ nec ego penitùs contempſerim, tuta autem & ſecura eligens, à Metallicis validioribus (validas quoque vires quæ in Peſte omninò deſunt requirentibus) lubens abſtineo, securè autem dantur ſalia è vegetabilibus vtpotè plantis parata, granorum aliquot pondere cum Theriacâ aut alia Antidoto conueniente, cuius hæc operationem accelerãt & intendunt. Verum ego his ſolis nunquam contentus ad peſtis curationem acceſſero niſi alia quædam adſint, quibus plurimus

Spagyrica remedia.

Salia ex herbis.

nus vſus fidem fecerit, quantumuis interim
norum vſurpationem non aſperner, vtpotè
qui his ipſis quaſi innutritus (abſque tamen
iactantiâ dixerim) & parandi rationem, & ex-
hibendi modum, & alia huc pertinentia ſi nō
penitus ita tamen nouerim, vt quæ ſecu-
ra ſunt, ſeligere noſcam.

Sudorificarum potionum nobis ferè vſi-
tatarum paradigmata quædam in Medicinæ
ſtudioſorum gratiam ſubiungere libuit, vt
quo modo quauè ratione antidota pro ægro-
rum ſalute adipiſcendâ commodè ſibi inui-
cem iungi debeant vel poſſint, pateſcat. Vt

℞ *Diaſcordii Fracaſtorii, drachmam vnam.*
Theriacæ Andromachi, ſcrupulum vnum.
Spec. Cordial. temper.
De Gemmis frigid. ãna. ſcrup. ſemis.
Syr. de ſucco Acetoſæ.
Limonum. ãna. drach. ſex.
Succi Citri recentis.
Chyloſtagmatis Diaphoretici.
Aceti Sambucini. ãna. vnciam ſemis.
Aq. Calendulæ. vnciam vnam.
Miſce f. Potio ſudorifica.

Potiones ſudorficæ.

Vel ſic.

℞ *El. de Croco & ouo. drach. ſemis.*
Diaſcordii Fracaſt. ſcrup. duos.
Sp. Cord. Alex. Bened.
Liberantis. ãna. ſcrup. ſemis.

Syrup. Acetositat. Citri. vnciam vnam.
De succo Scordii. vnciam semis.
Aceti de Rubo Idæo.
Succi Arantior. crudi. ãna. vnciam semis.
Aq. Nucum.
Acetosæ ãna. vnciam vnam.
Fiat Haustus.

Vel hoc modo.

℞ *Pul. Elect. de Bolo.*
Moibani de vua versa alioquin
Saxonici dicti. ãna. drach. semis
Syr. de Limonibus. vnciam vnam.
Succo Cardui Bened. vnciam semis.
Aceti Theriacalis drach. quinq;.
Aq. Bardanæ compos: vnciam vnã semis.
Stapedianæ primæ drachmas duas.
Redigantur in haustum.

Efficax valdè hoc erit sic accommodatum Diaphoreticum.

℞ *Diascordii Fracastorii. drach. vnam.*
Mithrid. Damocratis, scrupul. vnum.
Camphoræ grana duo.
Specier. Cord. Alex. Bened.
Pul. Bezoardici apud Nicol. ãna. scrup. semis.
Succi Citri recentis. drach sex.
Aceti Rutacei.
De floribus Tunicæ.

Aqua

Aquæ Stapedianæ primæ.ãna.drach.tres
Syrupi de ſucco Acetoſæ, vnciam vnã ſemis.
Aquæ Fraxini & Pimpinellæ.ãna.q. s.
M. f. Potio.

Alioquin.

℞ *Chyloſtagmatis Diaphoretici.vnciam vnã.*
Aquæ Stapedianæ primæ.vnciam ſemis.
Aceti Nucum.
Rutacei Camphorati.ãna.drach.tres.
Succi Limonior. aut Citri. drach. ſex.
Syr. de Succo Acetoſæ.vnciam vnam.
S. Scordii vnciam ſemis.
Pulueris Rubei Caſ. contra Peſt.
Spec. Cordial. temper. ãna ſcrup ſemis.
Miſceantur & confeſtim potanda offerantur.

Robuſtioribus & præcipuè ruſticanis hominibus hoc eſt efficax remedium, quod ſic habet.

℞ *Theriacæ optimæ.*
Aquæ vitæ rectificatæ & à phlegmate abſtractæ.
Succi Allii.ãna.vncias tres.
Aceti fortiſſimi. vncias ſex.
Succi Rutæ vnciam vnam ſemis.
Commiſceantur.
Doſis cochlearia duo ad ſummum.

Eundem ferè vſum Electuarium iſtud obtinet.

℞ *Diaſcordii Fracaſtorii. vnciam vnam.*
Theriacæ Androm. vnciam ſemis
El. de Croco & ouo. drach. duas.
Spec. Liberantis. drachmam vnam.
Camphoræ. ſcrupulum vnum.
Ex ſufficienti quantitate Syrupi Acoris Citri fiat Electuarium de quo drachma vna vel ſcrupuli quatuor plus minus, aceto diſſoluti ſudaturis porrigantur.

Inſigne medicamentum ſic componetur.

℞ *Aq. Stapedianæ primæ.*
Aceti Rutacei Camphorati. ãna. drach. ſex.
Syr. de Succo Acetoſæ, vnciam vnam.
Acoris Citri. vnciam ſemis.
Pul. Rubei Pannonici. Scrup. ſemis.
Spec. Liberantis. grana. vj.
M. id totum hauriat & ſudet æger peſtilentia correptus.

TRIA hic commodè ac opportunè lectorem admonere decuit, primum eſt, quod, ſi æger alexiterium euomat, aſſumptio eius confeſtim ſit reiteranda, idq; tamdiu faciendum donec æger idipſum retineat.

SECVNDVM, remedia non ſemper debere eſſe eadem, ſed magno ægri commodo pro naturæ auxiliatione variari, ſic enim venenum varimodè impugnatur, & quod prioris medica-

medicamenti inſultus vel vicerat, vel ſuſtinuerat, nunc nouæ opis tanquam inopinatæ adorſionis pugnas pertimeſcit, haud aliter quam ſi in prœlio feſſæ primæ cohorti, ſubſidiariâ quadam ope nouus illicò ſufficiatur miles, qui pugnam iam ante inchoatam multo ac nouo ac inexpectato quaſi robore proſſequatur. Tertiũ eſt, vt cum naturam ſegnem nihilq́ue agentem, ſed vinctis quodammodo manibus carnifici ceruicẽ iam iam præbiturã conſpexerimus, fortiſſima quæq́ue Diaphoretica, quæq́ue ſubtilitate quadam partium confeſtim permeent, ac inſuper conſternati cordis vires quaſi ſtimulis quibuſdam exuſcitent, porrigamus. Sic torpidos nonnullos, ſomniculoſos, tædio attonitos, extrinſecus algentes, anxioſos, curtum ſpirantes, ingemiſcentes, ac luctuoſa trahentes ſuſpiria, corde quaſi captos, ac mortis anxietate inquietatos plus ſemel DEI beneficio ereximus, in quibus antidotorum inſigni partium ſubtilitate præditorum vis, virulẽti morbi machinas deſtruxit & ad cor vſque permeans, infenſam hoſtilium calamitatum turbam diſiecit. Præſtant autẽ hoc eximiè diſtillata illa iam commemorata, magnam artis ope tenuitatis ac penetrationis vim ſortita, inter quæ Stapediana illa aqua primas tenet non immeritò, licet etiam cæteræ ſuum præſtent officium,

Cautiones quædam neceſſariæ.

dummodo calidiora frigidioribus,& magis algentia calidioribus debitâ seruatâ proportione ritè administrentur. Inter hæc Camphora vtrorumque cum frigidorum tum calidorum virtutem multiplicat & intendit, veruntamen vix vnâ dosi duo aut tria grana excesserim, quam etiam infirmum caput,& languidum ventriculum obtinentibus vix vnquam porrigendam suadeo, alioquin sanè cęterorum alexiteriorum vires subtili penetrationis vi ad cordis penetralia celeriter deuehit. His etiam hoc subiunxero non esse ægris ab hausto alexipharmaco somnum concedendum sed vigilias omninò imperandas.

TALIVM & consimilium medicamentorum copiosam farraginem in Practicorum libris passim prostare ac multa ostentatione videbis venundari, quorum varietatem varia cuilibet lectio indicabit. Veruntamen nostri cum instituti non sit aliorum sensa depromere, & multis ac diuersis diuersorum auctorum ambiguitatibus ac innumeris penè Receptarum (vt vocant) formulis chartas nostras onerare, ideò hoc loci ea potissimum assignare decreuimus quæ & vbique prostare possunt, & diuturno vsu comprobata haud paruam sibi fidem ac auctoritatem conciliauêre.

INTER hæc Theriacam, Mithridatium, El.de Ouo, Aquas supra à nobis & descriptas, & publi-

& publici boni causa reuelatas, Species Liberantes, Cordiales itidem cum Temperatas dictas, tum verò & Alexandrini Benedicti, Pulueres Bezoardicos, vtpotè de Gemmis frig. Rubeum & Gryseum Cęsaris titulo præclaros, nec non Pannonicum dictum ac Saxonicum de vua versa quem Moibanus primùm in Medicam scœnam introduxit, ac Camphoram (nisi quis sibi forsan meliora vel delegerit, vel efficaciora alia vsu edoctus sciuerit, aut experientia duce præclara magis cognouerit) primas tenere arbitror, vtpotè quæ ritè administrata & tempestiuè in vsum ducta vix vnquam sine fructu sint abitura. Excellit tamen inter hæc Diascordion hac sanè ratione, quod omnibus cum personis, tum naturis, antidotus amicabilis existat, datur enim puerulis, grauidis, puerperis, senibus, ac aliis consimilibus indiuiduis, in quibus ipsemet Galenus Theriacæ exhibitionem visus est repudiare. Huius autem (Diascordii puto) virtus pro qualitate, ac quantitate, cum febrilis æstus, tum conditione ægri ac symptomatum coincidentium, nunc huc, nunc illuc dirigenda, imò nunc sic, nunc aliter intendenda, prout in capite de morbi pestilentis accidentibus tradituri sumus, hæc de sudorificis modo dixisse sat est, quæ quoniam omnem propemodum recuperandę salutis energiam

Probatiora Pestis remedia.

continent, exterioribus quandoq́ue adminiculis (ſi paulò ſegnius negotium proceſſerit) vtpotè ſilicibus calefactis, ac lumbis accommodatis, aut vtribus ac veſicis calida aqua, lacte, vel oleo, aut decocto alio quopiam conueniente repletis, ac corpori ſudaturo adhibitis ſunt & adiuuanda, & in actum ducenda proliciendaq́ue. Nonnulli hunc in finem lateres ignitos & aceti aſperſione ad tepiditatem vſque extinctos, ac linteis aceto madentibus inuolutos, ventri, femoribus, axillis & pedibus applicant, alii cutim blanda frictione ad ſudorem euocandum rarefaciunt. Paulus calido clyſmate vim diaphoreticam ac peruadentem habente, ſudores tardiores vrget.

VERVM hi vix antè dimidiam horam ab hauſto Alexipharmaco prodeunt, à cuius aſſumptione ſomnus vix vnquam concedendus, niſi forſan ad horulam, alioquîn venenum intrò remeat, & profunda cordis appetit à circumferentia in meditullium concentratū, de quo forſan plura in capite de victus ratione ægris peſte correptis adhibenda monebimus.

NON iam deerunt qui naſutè nimis mirabuntur nos peſtis curationem à ſudoris prouocatione inchoare, hoc forſan argumento, quod hic ab Hippocrate & Veteribus pleriſque

isque, in acutis morbis damnatus ac inter notas minus salutares sit repositus, præterquam cum natura spontaneo quodam impetu factaque crisi eundem cocta iam materia morbificâ fundit. Et verò rationes hi suę sententiæ subiungent, quas prima quidem fronte sat validas quispiam putare queat, vtpotè vacuationem omnem spontaneã morbi initio vel factam, vel procuratam, inutilem planè imò & symptomaticam esse, ideoque non modo nihil releuare sed etiam vires frangere, eò quod iam dicta vacuatio non naturæ instinctu proprio, & valida ipsius vi morbum superante, sed furore quodam præpostero & humorum orgasmo & exagitatione suscitetur. Quin etiam febrem excalefacto per sudorem corpore exasperari dicent, ex cuius incremento symptomatum quoque maior ac acerbior insultus sit metuendus. Tandem quoque naturam quæ certa quadam lege humores primùm crudos concoquit, ac ab vtili succo secernit, ac tum demum sudore vel alia excretione aliqua propulsat ab officio consueto reuocari, & contra rationẽ ac morem proprium (qui tamen à Medicis qui naturæ ministri sunt obseruari debet) præposterè interturbari ratiocinabuntur.

Rationes eorum qui sudorem in Peste nociuum esse reputant.

MAGNÆ quidem considerationis hæc sunt & meritò in morbis omnibus obser-

uanda ac ſummo ſtudio attendenda, attamen in peſtilentibus & veneni malignitate conſpurcatis morbis locum nō habent, hoc enim eſt quod ſupra admonuimus, inertem morbum ac infidum pro ſua dignitate nullis datis induciis, nulla ſtipulatione aut adulatione, ſed feriò, audacter illicò artificioſe tamen tractandum & excipiendum, licet curationis modus magis ab experimentis quàm rationibus pendere videatur, quas tamen etiam perpulchrè ſic elicimus.

CVM tria in Peſte ſint à quibus indicationes curatiuæ potiſſimum deſumi debeant, venenum nempè, humores ac ſpiritus veneno contaminati, & calor febrilis quem peſtis perpetuum comitem eſſe ſupra demonſtrauimus, quis quæſo venenum potiorem locum tenere, ideoque omnium primò extirpandum eſſe non videt? hoc enim confeſtim extingui aut expelli poſtulat, vtpotè quod illicò vitæ minetur excidium. Quid igitur? ſuccorumnè prauitas purgatione ab initio ſuccidenda? percommodum id quidem foret, niſi tot & tanta obſtarent impedimenta, quorum pleraque recenſuimus cum ſupra de Purgatione ageremus, quibus hanc etiam cauſam adiunxerim.

Catharctica complura, cum venenatâ ac morbificâ vi prædita ſint, veneni non modò

copiam

opiam ac vim sua accessione augebunt, sed id etiam varimodè per venas disiectum exagitabunt, & confusis humoribus ad præcordia impellent, imò naturæ motum quo ea toxicum per poros ad corporis ambitum & peripheriam expellere tentat, præpediet, & id aduerso quodam ac reciproco motu ad centrum non sine magno vitæ periculo reuocabit. Venæ sectio calorem natiuum omni ratione tanquam vitę fomitem tutandum conseruandumque imminuit, vires frangit ac insigniter debilitat, nec interim vel vllâ ratione veneno refragatur, imò id potius distrahit ac disseminat. Superest igitur vt cum in peste venenum potiores indicationes obtineat, idipsum antidotis alexipharmacisque confestim pellatur ac exterminetur, sic enim turgẽtes ichores veneni labe infecti, & serosa excremẽta ac his insidens venenata morbi qualitas cõmodissimè vacuabitur & excludetur.

Solutiua quia cum veneno participāt Pestis vim augent & exacerbant.

PRÆCIPVVM itaque curationis scopũ attigit is, qui protinus ab alexiteriis morbi depulsionem auspicatus, venenum extirpauerit, quo nondum abacto humores vel omninò non, vel non tutò concoqui possunt, neque verò alterantia hîc multum præstare valent, cum pestilentis febris calor non ardoris quodam excessu sed perniciosa planè malignitate cordi sit infensus, cui non nisi antido-

In sudoris expulsione totus curationis versatur cardo.

antidotis ſubueniri queat, quæ hanc è corde foras euocent.

Sunt hæc omnia euentis & diuturno rerum vſu comprobata, per quem conſtat peſte correptos in morbi principio aut incremento purgantibus pharmacis vſos, aut ſpontaneo alui profluuio correptos, vtplurimũ occubuiſſe, prout aliâs ſæpè deprehenſum fuit, tum vero à maioribus de Peſte anno 1510. & 1568. in Gallos ſæuiente eſt annotatum, quomodo inſignis ille Iulius Palmarius Conſtantinus plurimos purgantibus medicamentis ac ſanguinis miſſione in calamitatem actos fuiſſe refert. Non igitur contrariis indicationibus turbari decet, cum veneni depulſio & virium robur accuratè cuſtodiendum ſemper ob oculos verſari debeat, his enim omnis curationis cardo inhæret. Tantã proindè quorundam & impudentiam & temeritatẽ mirari ſatis nequeo, qui ſeſe (niſi vel ventrem turbauerint vel ſanguinem ſubtraxerint) Medicorum officio functos non eſſe ſtultè planè ac ineptè reputantes Stibii ſeu Antimonii præparati, aut alterius conſimilis medicaminis exhibitione ad Peſtis curationem ſeſe accingunt, per quam in Lugdunenſi Peſtilentia anni 1566. tantus ægrorum numerus in necem actus periit, inter quos complures eodem Iulio Palmario referente, ea ipſa die,

Temeritas quorundã taxatur.

die qua Empyricorũ ſuaſu hoc medicamenti genus aſſumpſerant, fatis conceſſere. Veruntamen hic longius ab ordinis noſtri via digreſſi, recapitulatione quaſi quadam ruminare ea voluimus quæ ſuperius à nobis de purgatione adminiſtrandâ ſunt tradita, nimirum aluum hic non ducendam antequam venenata qualitas euicta, ac vires recreatæ fuerint, idq́ue tunc demum cum peſtilens conſtitutio putridæ implicata inciderit, in qua viciſſim alexipharmacis ac deiectoriis medicamentis (clementioribus tamen) negotium tranſigendum, quorum tamen omnium occaſionem diligens ac accurata Medici (quibuſnam præſidiorum generibus morbus vel irritetur, vel remittat,) attendentis, obſeruatio commonſtrabit.

CAPVT. XVI.

De Apotherapia & refectionibus ægro poſt ſudorem adminiſtrandis, &c.

PESTILENTIA correptis vnam ferè vitæ ſpem in robore viriũ conſiſtere iam ſæpius admonuimus, proindè quàm ſtudio-

ſtudioſiſſimè enitendum vt hæc ipſa virtutis vitalis energia fulciatur. Etenim licet exhibita antidota cordialia ſint vtplurimum, ideóque vitæ fonti non parum opis adferre queant, quia tamen ſudor (quorum ſuppetiis hic profluit ac eliditur vt vnà cum hoc veneni pernicies expiret) vacuationis quoddam genus eſt, quod tametſi non ſemper plenas ac integras vires requirat, tantas tamen exigit, quę porrectam antidotum de potentia in actum deducere, & fuſis humoribus pollutos ſanguinis ichores ad corporis ambitum protrudere, ac tandem reſeratis poris vacuare valeant, inter quos labores, longè quidem minus quam à purgatione ac pharmaco deiectorio aut venæ ſectione vires corruunt ac debilitantur, huius tamen effluuio aliqua nihilominus ſpirituum vitalium portio amittitur inſigni artificio ac diligenti ope redintegranda, vt quantum virtutis per ſudores defluxit, tantũ artis beneficio reponatur, cumque ſudor vnus vix vnquam ſufficiat, ſed hic certis interuallis ſæpius ſit reiterandus, idcircò ſolerti animaduerſione ijs temporibus quibus à ſudore ac aliis medicamentis pax eſt, virium robur omni modo ac ratione DEI beneficio reuocandum ac in integrum reſtituendum. Quoniam verò id bifariam plerunque fieri & poteſt, & ſolet, partim nimirum

ex diæ-

ex diæta, partim vero ex pharmacia petitis præsidiis, priora nos hic ad caput de victus ratione in Peste obseruandâ, quam mox DEO dante tradituri sumus, relegamus, hoc autem loci ea solummodo proponere decreuimus, quæ è medicâ materiâ deprompta purè medicamentosa vocari solent, alimentitia suam in classem vtpotè ad caput de Diæta reponentes.

Medicamenta cordialia, qualia nã esse debeant.

CVM autem ea quæ vires fractas restituunt ac nouos spiritus regenerant, cordialia omninò pharmaca esse debeant, scire conuenit talia omninò hic à nobis expeti quæ laudabilem præter alia sanguinem subministrent, è quo ichor consurgat roridus multâ ac amicabilis fæcunditatis benignitate perfusus, qui splendidorum, fulgentium, nitidorum, imò & copiosorum spirituum origo esse possit, quorum decor sese in vniuersum corporis theatrum pandens, tanquam è virium animæ promptuario quodam, omnem corporis æconomiam instauret ac reficiat, & vitali vigore cuncta membra riget ac exhilaret, per quem innatus calor & excitetur & animetur, atque adeò mens in lætitiam exporrecta, spreto quodammodo morbi fastidio ac fatigatione, suis bonis liberè gaudere valeat. Hæc ipsa autem nec feruido caloris æstu flagrantia, nec rigidi algoris frigore torpentia

sint

ſint oportet, prout enim hæc viuidi caloris nectar opprimunt ac peſſundant, ſic illa hoc ipſum diſijciunt, ac inutiliter quodammodo dilapidando diſſipant ac exoluunt.

Cordialia medicamenta vt plurimum temperata.

Cordi itaque dicata remedia talia ferè ſint neceſſe eſt, vt temperata quadam craſi prædita ac genuina moderatione laudabilique temperie naturæ blandiantur, putredinē inſuper arceant, ſpiritus vitales recreent, tenuem cordis calorem prouocent excitentque, modicoque & quaſi naturæ æmulo calore perfuſa, aut alioquin occulta & ſenſibus incompertâ facultate cordis robur tueantur, nullo flatu moleſta, nec nimia aſtrictione aut ſiccitate ſqualida, ſed in bonum omninò ac laudabilem ſuccum conuerti apta, è quibus limpidiſſimorum ſpirituum copia ſuccreſcere poſſit. Vt autē hæc facilius ac promptius ea præſtent, ſummoperè ſtudendum erit, vt ſapore, colore, ac odore quantum fieri poteſt gratiſſima exiſtant, hinc enim fiet, vt nec naribus olfactu ingrata, nec aſpectu horribilia, nec denique ventriculo nauſeabunda, ſed naturæ amicabilia penitus obtingent, qualia hæc facilè amplexetur, nec vlla nauſea in ventre fluctuare permittat, ſed protinus in commodum ac vtilem vſum conuertat.

Postqvam igitur ſudores per vnam atque alteram horam pro ægri tolerantia ac

viribus,

viribus ritè profluxerint, erunt hi linteis tepentibus ne frigore veneni labes retrocedat ac ad cor rursus redeat abstergendi, ægerque mundiore sicciore que loco lecti collocandus, quod vbi factum, posca eidem Rosacea offeratur, iniectâ si eius odorem ferre possit modicâ Camphorâ, hac faciem, os, ac manus circa carpum præsertim ad arterias proluat, nares verò aceto aliquo cordiali vtpotè de Rubo Idæo, Rosato, Sambucino, Rutaceo, Calendulato, aut è floribus Tunicæ parato riget, imò portionem eius aliquantisper ore contineat, sic enim cerebrum & cor eximiè refocillantur, & pulsâ nauseâ oris depellitur insipiditas. Tum verò variis ac diuersis auxiliis instructus, nunc hoc, nunc illud, & modo huic tale quidpiam, modo illi aliud aliquid quod pro concomitantium symptomatum consideratione conuenienter exhiberi posse iudicaueris, offeras. Commodissimè verò cum inter sudandum tum post sudorem masticanda datur Citrii pomi pulpa, saccharo Rosato tabulato leniter conspersa, vtpotè quam supra venenis magnoperè resistere è veterum doctrina tradidimus, nam & Theopompus Chius, Clearchum Heracleotam Ponti tyrannum multos veneno sustulisse, pluresque consimili nece trucidare voluisse scripsit, nisi plebs Citrii pomi virtute cognitâ sibi

Ablutiones.

Odoramenta.

Theopompus Chius.

tâ sibi consuluisset. Dantur etiam Ribes ac Berberorum vuæ sacchato conditæ, ac Granatorum margaritæ quibus manus Christi perlatę in puluerem redactæ, aspersæ fuerint, imò etiam morselli ex succo Citri aut Berberorum parati, qui sitim interim fallunt cordi perquàm familiares. Veruntamen hæc ex toto vix vnquam suffecerint, alia igitur his maiora ac efficaciora perquirenda.

Cvm autem ægri post sudorem percalefacti vtplurimùm sint & siticulosi, omnium & facillimè & cõmodissimè potulentis recreantur, varia proindè potuum cardiacorum genera excogitanda, quorum hi & varietate gaudere, & his ipsis cum vicissitudine quadam ac alternatim vti queant. Iucundam potionem hoc præstat.

Potiones refectoria.

Accipe conseruam Rosarum rubearum huic aspergito aliquot guttulas olei vitrioli probè in vitro vel vitreato vase commiscendo, vt subacida hæc euadat & coloris intensione corallum ęmuletur, huius tu conseruæ vnciam, quinque vel sex vnciis aquæ Acetosæ distemperabis, ægroque à sudore languido ac æstuanti offeres. Simili planè modo Conseruas alias, vtpotè conseruam florum Tunicæ, Boraginis, Buglossæ, violarum ex foliolis, Acetosæ & Oxydis seu Luiulæ in salutarem vsum ducere poteris, quæ sic olei vitrioli

trioli accessione acorem induunt palatui quam gratissimum, præterquam quod hoc ipsum maxîmas in putredine arcenda ac obstructionibus quibusuis reserandis vires obtinet.

POSSVNT etiam conseruæ hæ binæ aut ternæ simul iunctæ, ac aqua Rosarum, Acetosæ, Boraginis, Scordii, Calendulæ, Cardui, aut aqua Caponis dilui, & sic ægro post sudorem pro virium refectione propinari. Alioquin.

℞ *Vini Granat: acidorum. vncias quatuor.*
Aq. Rosarum.
Cardui B. Mariæ.
Acetosæ. ana. vncias tres.
Scabiosæ. vncias quinque.
Syr. Acetosit. Citri vncias duas.
De Rubo Idæo. vnciam vnam semis.
Floribus Tunicæ. vnciam vnam.
Iulapii Rosati.
Rob Berberor: ana. drachmas sex.
Olei vitrioli guttulas aliquot, vel quantum sufficit pro iucundo acore. misce. Dabis de hoc potu subindè vncias quatuor aut quinque.

Vel.

℞ *Aq. Acetosæ. vncias sex.*
Nucum.

Cardui Bened. ana, vncias tres.
Aceti de Rubo Idæo. vncias quatuor.
Vini albi odoriferi. vncias sex.
Syr. de Agresta.
De Limonibus.
singulorum vncias duas.
De Pomis. vnciam vnam.
Ol. vitrioli guttulas duas vel tres, fiat transuasando potus refectorius, de quo dentur subindè vnciæ tres, quatuor, vel etiam plures.

Alioqvin Syrupus violatus ex cæruleo flosculorum succo paratus aquæ Calendulæ, Scabiosæ, aut alio conuenienti liquori permiscetur, & iniectis aliquot olei vitrioli guttulis huic mixturę purpureus (præter subacidum saporem) color conciliatur, visu, gustu, & potatione iucundus ac efficax. Multum quoque prostratas vires erigunt Syrupus de Fragis, Cydoniis, de Agresta, succo Acetosæ, Granatorum, Cichorij, Limonum, Citri ac de corticibus eiusdem, nec non Syr. de succo, Boraginis, Buglossæ, ac in maximo æstu Syrupus de Nymphęa vterque ac de Papauere erratico, Rob de Ribes & Berberorum, ac Oxysaccharum vtrumque, his enim omnibus vis quædam inest cordi familiaris, quorum beneficio hoc ipsum fulcitur, & noua regene-

regeneratorum ſpirituum acceſſione ſeſe recolligens, pugnam morbi tam maligni facilè rurſus aggreditur, vtpotè erectis quæ conſternatæ iam ferè fuerant viribus, denuò munitum ac exuſcitatum. Quibus nauſea ventriculum occupat & vomituriunt iis vinum Cydoniorum tantillâ portione aceti Roſati remixtum ac oblatum plurimum emolumenti adferet, prout his qui non admodum ęſtuant hauſtus vini paſſulati, cum aliqua portione ſucci Citri per reſidentiam depurati, aut aceti florum Tunicæ, vel Rubi Idæi momento.

Debilioribus maiora præſtanda auxilia. Vtpotè.

℞ *Sp. Cordial. Alex. Bened.*
Temperatarum.
De Gemmis frig. ãna. ſcrupul. ſemis.
Vini Granat. acidorum.
Aquæ Roſarum. ãna. vnciam vnã ſemis.
Aceti de Rubo Idæo. drach. duas.
Syrupi de Limonibus. vnciam vnam.
De Corticibus Citri. drach. duas.
M. f. Potio cordialis quam bibat æger frigiduiſculam poſtquam ſudauerit deſuperq́; molliter quieſcat.

Aliâs.

℞ *El. Alchermes Noſtradami. drach. ſemis.*
Spec. Liberantis. ſcrupul. ſemis.

Cardui Bened. ana, vncias tres.
Aceti de Rubo Idæo. vncias quatuor.
Vini albi odoriferi. vncias ſex.
Syr. de Agreſta.
De Limonibus.
ſingulorum vncias duas.
De Pomis. vnciam vnam.
Ol. vitrioli guttulas duas vel tres, fiat tranſuaſando potus refectorius, de quo dentur ſubindè vnciæ tres, quatuor, vel etiam plures.

ALIOQVIN Syrupus violatus ex cæruleo floſculorum ſucco paratus aquæ Calendulæ, Scabioſæ, aut alio conuenienti liquori permiſcetur, & iniectis aliquot olei vitrioli guttulis huic mixturę purpureus (præter ſubacidum ſaporem) color conciliatur, viſu, guſtu, & potatione iucundus ac efficax. Multum quoque proſtratas vires erigunt Syrupus de Fragis, Cydoniis, de Agreſta, ſucco Acetoſæ, Granatorum, Cichorij, Limonum, Citri ac de corticibus eiuſdem, nec non Syr. de ſucco, Boraginis, Bugloſſæ, ac in maximo æſtu Syrupus de Nymphęa vterque ac de Papauere erratico, Rob de Ribes & Berberorum, ac Oxyſaccharum vtrumque, his enim omnibus vis quædam ineſt cordi familiaris, quorum beneficio hoc ipſum fulcitur, & noua regene-

regeneratorum spirituum accessione sese recolligens, pugnam morbi tam maligni facilè rursus aggreditur, vtpotè erectis quæ; consternatæ iam ferè fuerant viribus, denuò munitum ac exuscitatum. Quibus nausea ventriculum occupat & vomituriunt iis vinum Cydoniorum tantillâ portione aceti Rosati remixtum ac oblatum plurimum emolumenti adferet, prout his qui non admodum ęstuant haustus vini passulati, cum aliqua portione succi Citri per residentiam depurati, aut aceti florum Tunicæ, vel Rubi Idæi momento.

Debilioribus maiora præstanda auxilia. Vtpotè.

℞ *Sp. Cordial. Alex. Bened.*
Temperatarum.
De Gemmis frig. ãna. scrupul. semis.
Vini Granat. acidorum.
Aquæ Rosarum. ãna. vnciam vnã semis.
Aceti de Rubo Idæo. drach. duas.
Syrupi de Limonibus. vnciam vnam.
De Corticibus Citri. drach. duas.
M. f. Potio cordialis quam bibat æger frigidiusculam postquam sudauerit desuperq́; molliter quiescat.

Aliâs.

℞ *El. Alchermes Nostradami. drach. semis.*
Spec. Liberantis. scrupul. semis.

oleum flammæ, ſic hæc ſpiritibus fomentum ſubminiſtrant, quod experientia certificati didicimus. Cautio tamen hæc adſit vt (quoniam calida hæc ſunt) poſtquam cor quod veneni tyrannide premebatur in libertatem rurſus aſſertum, anhelitum paulò faciliorem, & febrem quæ intus delituerat, ad corporis peripheriam propulſam eſſe cognouerimus, tum ſtatim in extinctione iam dictæ febris haud tamen abſque cordialibus & putredinem arcentibus medicamentis dimicando laboremus, vt quod calida antidota (quoniam aliter venenum pelli non potuit) plus magis inflammarunt, alterantia frigida ad iuſtam commoderationem rurſus deducant.

Cautio.

Minori ſumptu hæc comparantur. Vtpotè.

℞ *Aq. Theriacalis Camphoratæ. vncias duas.*
Stapedianæ ſecundæ. vnciam vnā ſemis.
Cinamomi optimæ.
Aceti Theriacalis. ānā vnciam vnam.
Syrupi de Corticibus Citri. vnciā vnā ſemis.
Specier. Cord. Temperatar. drach. vnam.
De Gemmis frigid. ſcrupul. duos.
Miſce ad Vitrum.

Detvr ab vnciâ vnâ ad ſeſquiunciam iis quibus ſudor à vulgaris alexipharmaci potu non proceſſerit, idque ſingulis binis aut

ternis

ternis horis donec ſudor proruperit, tunc ad minus calida rurſus deſcendendo febrem etiam meritò attendere conuenit, etenim paratâ iam per hæc calidiora ſudori viâ, mitiora ſufficient.

Hoc etiam ſegnem naturam ſuſcitat & contra morbum munit.

℞ *Chyloſtagmatis noſtri Diaphoretici cum Camphora.*
Succi Citri recentis per reſidentiam depurati. ana. unciam vnam.
Aquæ Stapedianæ primæ. drach. tres.
Syr. de Cinamomo. drach. duas.
De Rubo Idæo. drach. ſex.
Miſce, hauriat id vna vice totum.

VERVNTAMEN hæc nec vbique proſtant nec niſi in caſibus iam antè dictis ſunt vſurpanda, vtpotè in valdè debilibus, ac iis quibus vipereum peſtis venenum algorem corporis, aut artuum omnium ſegnitiem ac immobilitatem inducere tentat, vel cum malignitas erroris alicuius commiſſi occaſione ad cor remeauit, tunc enim cæteris nihilominus circumſtantiis diligenter ac ſedulò ponderatis, hæc vtplurimum calida locū habere poſſunt, eorum vſum eouſque continuando donec febris ad tactum rurſus emerſerit.

Laudatissimum porrò medicamenti genus hoc est quod sequitur, quo creberrimè in Nosocomio pestilente, magno ægrorum cõmodo vsus sum, hi etenim hoc ipso post sudorem hausto mirum in modum reficiebantur, cum omnibus ferè ibidem decumbentibus post peractum sudorem porrigeretur. Paratur autem hoc ferè modo.

Egregius potus viribus post sudorem redintegrandis accommodatus.

℞ *Aquæ Rosar. odoratiss.*
Acetosæ. ãna. vncias octo.
Aceti de Rubo Idæo.
Rosati. ãna. vncias sex.
Vini albi odoriferi. libram vnam.
Syr. de Limonibus.
Iulapii Rosati. ãna. vncias duas.
Corticum Citri recentium & extimorum minutim incisorum. vnciam vnam semis.

OMNIA simul mixta stent in vitro vt odorem corticum Citri in se proliciant, & de hac mixtura rubella, subacida, ac odorata dentur ægris post sudorem vnciæ quinq; vel sex, per quam vires ingenuè redintegrantur, vt non immeritò à nobis potus refectorius, & à famulis qui ægris in Nosocomio Clinicorum more ministrabant vulgato idiomate Labdranck dici meruerit, quod hoc ipso ægrotantes

rantes commodè reficerentur, ac vires à sudore nonnihil languidas resumerent. Nonnullis vinum giluum, tenue, maturum ac odorum, aqua Acetosæ, & Berberorum, aut Ribium, vel Cerasorum duracinorum acidorum succo remixtum, iniecta tabella vna atque altera Manus Christi cum Perlis salutariter pro recuperanda vel innouanda vitali vi offertur, iis præsertim in quibus exustio linguæ, deliriũ, vel inflammatio aliqua insignis non pertimescitur, iis enim priora illa supra commemorata ex vino Granator. succo Citri Limoniorum ac Cydoniorum cum Syrupis cordialibus refrigeratoriis & aquis calorem temperantibus horum loco exhibenda. Multum etiam confert aqua Caponis, immixtis Speciebus Diatrion Santalon, Diarhodon Abbatis, vel de Gemmis fr. cum aliqua portione Diamosci dulcis, ac Syrupo de Pomis, Persicis, aut Floribus Tunicæ, addito succo Arantiorum acidodulcium, aut aceto Calendulato.

EVNDEM in finem conseruæ ac condita aliqua cordialia vel per se vel varimodè commixta offeruntur. Vt

℞ *Conserua Rosarum. vnciam vnam semis.* *Electuariũ instaurãs.*
Luiula. drachmas sex.
Boraginis.

Fl. Tu-

Fl. Tunicæ.
Anthos.ãna.vnciam ſemis.
Corticum & Carnium Citri condit.ãna. drach.ſex.
Zedoariæ cond.
Rad.Pimpin.conditæ.ãna.drach,tres.
Spec.Cordial.temperat.
De Gemmis frig.ãna ſcrup.duos.
Diamoſci dul.
Diambræ.ãna.ſcrup.dimidium.
Lætificant: Rhaſis aut Galeni grana vij.
Ex Syr. de Limonibus f. Electuar.inſtaurans, quod ſi acidulum expetiueris,aliquot olei vitrioli,vel olei ſulphuris acidi per Campanam facti guttulas ei commiſceto.

EGREGIE verò vires fulcit aqua è corticibus extimis ac recentibus Mali Citrii diſtillata, aſperguntur cortices ſucco pomorum,aqua Roſata, & vino Cretico.indeque poſtmodum liquor arte elicitur, veneno & Peſti reſiſtens,nauſeam auferens,putres ventriculi humores diſſipans, melancholiam fugans ac cordis vires eximiè inſurgere faciens, odore,potu,& appoſitu ſalutaris. Aqua è cerui primis cornibus extillata & cum Syrupo de Limonibus potata, præſtans eſt. Vel ſumatur ſcobis Cornu Ceruini, Limoniorum vnâ cum ſemine Cortice & pulpa in fruſtula diſſe-

Liquor è cornu Ceruino.

diſſectorum ſingulorum libra, his affunde aquæ Roſarum, Acetoſæ, Scordii, Scabioſæ, Cardui aut Meliſſæ libras tres, extillentur è balneo, denturque huius liquoris vnciæ duæ cum Syr. de Pomis vel de Agreſta. His in morbis Medici prudentia ac dexteritas elucescit, hoc enim in loco cum omnia pro occaſionis conditione ſint moderanda, facillimè error committitur, fit namque vt quod vni prodeſt, alteri ſit nocuum.

Cum autem tria ſint hoc in affectu à quibus omnis & indicatio & curatio pendet, venenum nimirum multis paraſangis reliqua omnia vincens, vires ægri, & febris veneno peſtifero iuncta, tu ad hæc ſemper capita redeundo, conſidera, an veneni quantitas febrilis æſtus magnitudinem excedat nec ne, ſeu an in hac lue (quam modo plus, modo minus veneni habere, ac modo hanc, modo illam veneni ſpeciem æmulari ſupra innuimus) plus ſit veneni quàm incendii, ac ſi plus veneni deprehenderis quam caloris, illicò neglecta aliquantiſper febre ad virulentę malignitatis expulſioné magna ſeueritate propera, ſin verò calorem aut incendium veneno maius exiſtimaueris, alterantibus ac febrilem æſtum temperantibus te morbo oppone, quæ tamen talia ſemper eſſe decet, vt putredini emendandæ ſint idonea, & cordi quàm gratiſ-

Dexteritas curationis.

gratiſſima exiſtant, non neglectis tamen nihilominus Antidotis Alexipharmacisque venenum perimentibus, ac per inſenſilem tranſpiratum aut ſudorem vacuantibus, dummodo talia ſint quæ febrem non admodum inflamment. Itaque ſi venenum magnum ac multum, febrem autem exiguam vel mediocrem eſſe conſpexeris, Theriaca, Mithridatio, El. de Ouo, Puluere Moibani, Aqua Stapediana, Theriacali, ac aliis calidioribus malignitatem diſiicere licebit, ſin verò æſtus ingens hæc offerre prohibuerit, Diaſcordium, ſuccum Citri, Acetum Rutaceum Camphoratum, ac Theriacale illud, nec non pulueres, ex Bolo Armeno, Terra Lemnia, Corallis, Margaritris & ſimilibus paratos elige, ac Chyloſtagmate quoque noſtro, aut aliis minus feruidis, admixto ſucco Berberorum, aut Syrupo de Limonibus, vel de Agreſta vtere, ſemper poſt ſudorem vires peculiaribus præſidiis confirmando, in tepidioribus quidem (vt diximus) & iis quibus calor remiſſus videtur, & qui (abſque tamen linguæ ariditate aut ſiti) extra algent, Aqua Cinamomi, Vino, Acetoſæ aut Roſarum liquore lymphato, El. Alchermes, ac aliis calidioribus, in æſtuoſis verò ac ſupercalfactis, ſucco Limoniorum, Granatorum, Ribium, Berberorum, Ceraſorum acidorum, aqua Roſarum, aceto florum

Pragmatia.

Tuni-

Tunicæ vel Rubi Idæi vino Cydonite. Præter quod etiam hoc annotabis, fortiores medicamentosis, debiliores verò alimentitiis magis esse reficiendos, sic suam quæque obseruationem exigunt, quæ tamen animaduersa, tametsi haud sine labore attendantur, multum exercitationis ac lucis Medico, ægris verò plurimum emolumenti adferunt, & cum in decipiendo hic morbus sit mille imposturarum artifex, circumspectum planè & centum Argi oculis gaudentem Medicum requirit. Sed & hoc caue, ne nimiis sudoribus, aut nimium calidis Antidotis ægrũ exoluas, hæc enim spiritus quandoque absumunt ac dissipant, suffecerit semel atque iterum naturam segniorem his ipsis extimulasse, tum verò ad mediocria te recipe, ac post sudorem in quantum per exhibitum Alexipharmacum calorem præternaturalem auxisti, in tantum eundem sub Apotherapia & quietis ac refectionis temporibus, vt eundem rursus deprimas studeto, sic enim cuncta ritè & ex officio peragentur, ita sudoris hora venenum & impugnabitur & expugnabitur, iis verò quæ inter sudoris reiterationem incidunt intercapedinibus, ægri vires recreabuntur, ac febris tractatio & symptomatũ lenitio suscipietur. Sudores igitur tribus aut quatuor primis diebus, prout necessum videbitur, singulis octo

Cautio.

Sudores quoties & quamdiu ciendi.

vel

vel decem horis reiterandi, ac ad duas horas eorum emanatio procuranda, abhinc cibus & refectiones administrandæ, per quas æger rursus in vigorem erectus, secundæ ac tertiæ sudationis laborem ferre ac sustinere queat.

Refectio per odores & extrinsecè adhibita.

ATQVE vt eò, vndè digressi sumus, reuertamur, inter refectiones non inique connumerandi sunt odores, iucunda exhalatione spiritus plurimũ reficientes, proindè lintea aceto Rosato Calendulato vel Rutaceo aut Sambucino addita modica camphora parietibus extendenda aut flabello consimili aceto tincto, ventus coram ægri facie concutiendus ac flabellandus, ac acetum de Rubo Idæo spongia exceptum, vel vinum perquàm odorum aquæ Rosatæ admixtum, intincta medulla panis triticei recentis, naribus sæpè admouendũ. Mirum est quantum hæc reficiant. Camphora aquæ Rosarum immergitur, & ex hac aqua linteum madescit, quo frons, nares, tempora, labia, & cordis regio abstergitur. Cortices Citri aceto Rubi Idæi aut Rosato prius demersi arteriis ac pulsibus superligantur, ac si æstus vehemens vrget pedum plantæ aceto ac sale perfricantur, atque his Raphani dissecti laminæ aut Anagallidis ex aceto & sale tusæ folia, vel etiam argilla aceto madens imponitur, ac superilligatur, spina verò dorsi (nisi exanthemata aut papulæ ac

maculæ

maculæ pulicares adfuerint, tunc enim metus est ne facta palindrome, introrsum à frigidorum medicamentorum vsu retrocedant, ac magno ægri damno à circumferentia ad centrũ refugiant) vnguento Rosato Mesuei, Camphorato aut infrigidante Galeni perungenda, quomodo & cordis ipsius regio oleo Scorpionum composito, addito ad calorem eius nonnihil contemperandum oleo Nenupharis bis die leuiter illinienda.

Descriptionem olei Scorpionum ex Matthiolo præfat. in 6. lib, Dioscorid. petes. Alioquin sic habet. *Ol. Scorpionum.*

℞ *Aristolochiæ*
Gentianæ.
Cyperi.
Cort. rad. Capparor. ãna. vnciam vnam.
Amygdalar. amararum. libram vnam.

Conquassata in oleo & aqua conueniente coquantur ad aquæ consumptionem, in colatura decem vel plures viui scorpiones immergantur ac in furno vel ad solis æstũ calescant & reseruentur. Hoc oleo inunge carpos & cordis regionem.

Efficax magis hoc est. *Alia elegans olei Scorpionum descriptio.*

℞ *Olei antiquissimi. libras quinque.*
Scorpiones viuos. numero 120.
Aceti fortissimi. vncias quatuor.

Bulliant simul donec scorpiones crepent, in colaturam deindè coniice.

Zedoariæ.

Gentianæ.

Dictamni. ana. unciam vnam.

Theriacæ.

Mithridatii ana vnciã vnam semis.

Spicarum Allii. numero tres.

Ceræ nouæ modicum.

Bulliant lento igne, vase clauso, per diem naturalem, & oleum expressum vmbilico, arteriis, dorso, cordi & loco buboni vicino inungatur.

ALIOQVIN panis tosti micas aceto Rubi Idæi macera vt in pulticulam abeant, adde Santalos, Camphoram, parum Croci ac Theriacæ, & pulsibus admoue. Vnguentum pro corde sic comparabis.

Vng. cordiale.

℞ *Vng. Rosati Mes. vncias duas.*
Sp. Diatri Santal.
Diarhod. Abb. ana drach. semis.
Camphoræ. scrup. semis.
Olei scorpionum q. s. ad incorporandum.

LICEBIT etiam Theriacæ aut Confectionis de Hyacintho nonnihil adiungere.

Vel.

℞ *Aq.*

℞ *Aq. Rosarum. vnciam vnam. semis.*
Aceti fl. Calendulæ.
De Rubo Idæo. ãna. vnciam semis.
Succi Cardiacæ. drachmas decem.
Ol. Scorpionum.
Nymphea.
Hypericonis. ãna. drach sex.
Camphoræ. scrupul. semis.
Agitando commisceantur ac crebro concussa agitentur, inq; hac mixtura tepida intinctus & expressus pannus cordis regioni applicetur.

PAVPERIBVS vnguentum Santalinum cum modico Mithridatio, Aceto, Camphora, & oleo Hyperici, bonum linimentum præbet.

Interdum Rosas rubras contritas vna cum extimo Citri cortice ex aqua Rosata & Aceto Calendulæ, aut Rubi Idæi coquito, has per setaceum traiectas, priori iuri reddito, & ad mellis consistentiam inspissato, inijciendo sub finem Camphoræ nonnihil, hâc mixturâ cordis regio perungatur, cui si commodum videbitur, iungere licebit parumpèr ol. de Nenuphare, Scorpionibus, aut Moschellini cum Theriacæ momento.

Epithemata quoq; cordi gratissima intincto in his coccineo panno cordis regioni te- *Epithemata.*

 pidè

pidè admouebuntur, eorũ tamen nullus sit vsus si Carbunculus vel Anthrax pect⁹ obsederit, aut Exanthemata proruperint, ne materia extrorsum pulsa, aduentu talium remediorũ repercussa retrocedat, & vitæ fontem adoriatur, vndè mors metuenda fiet. Aliâs sic aptè Epithemata cordialia huic malo accommoda comparabis. Vt.

℞ *Aq. Rosarum. vncias quatuor.*
Acetosæ.
Boraginis.
Aceti de Rubo Idæo. ãna. vncias tres.
Spec. Diarhod. Abb. drach. vnam.
Camphoræ. grana octo.
Croci grana quatuor.
M. f. Epithema.

Vbi magnus æstus non vrget, in hunc modum Epithema concinnarì poterit.

℞ *Aq. Calendulæ.*
Melissæ.
Scordii.
Rosarum. ãna. vncias duas.
Vini albi odoriferi, in quo cortices Citri prius macerati fuerint. Vncias tres.
Aceti florum Tunicæ. vncias duas.
Rutacei. drachmas sex.
Spec. Diatri. Santal. scrup. duos.
Cordial. temper.

Diamo-

Diamoſci dul.
Camphoræ. ãna. ſcrupul. ſemis.
M. f. Epithema.

VEL accipe Lignum Aloës, Rhodium, & Santalos fragrantes, nec non & corticem Citri, Limoniorum, vel Arantiorum, hæc in æquis partibus aquæ Roſatæ odoratiſſimæ, vinique albi perquam odori, vaſe duplici per horæ quadrantem coquito, poſtea colaturæ huius vnciis nouem admiſceto Aceti Calendulati ac de Rubo Idæo aut floribus Tunicæ parati vncias tres, Specier. de Gemmis frigid. & Liberantis. ãna. drachmam dimidiam Croci & Camphoræ. ãna. ſcrupul. ſemis. M. f. Epithema.

IN calidioribus verò naturis ac conſtitutionibus ac vbi ægri incendio quaſi quodam flammant ac æſtuant, hoc vel conſimile adhibendum.

℞ *Aq. Nymphea.*
Acetoſæ.
Violarum.
Scabioſæ.
Aceti Roſati. ãna. vncias tres.
Spec. Diamarg. frig. ſcrupul. duos.
Diarhod. Abb.
Diatri Santal. ãna. ſcrupulum vnum.
Camphoræ ſcrupulum dimidium.
M. f. Epithema.

INSIGNE ac præſtans remedium cordiale forinſecus applicandum hoc eſt, dum cordis viribus ſtudere ſatagimus, attamen magnus ardor aut vehemens febris abſit.

Inſigne remedium.

℞ *Pul. violarum odorati in Diſpenſatorio Auguſtano deſcripti. drachmas ſex.*
Roſarum rubearum.
Flor. Nymphea.
Meliſſæ hortenſis. ana. pugillos duos.
Scordii.
Florum Calendulæ. ana. pugill. vnum.
Ligni Rhodii pulueriſati.
Santali Citrini. ana. ſcrup. duos.
Specier. Diarhod. Abb.
Diatri. Santal. ana. drach. ſemis.
Diambræ. Scrupul. ſemis.
Camphoræ grana. vij.

Craſſiuſculè inciſa & contuſa inſuantur ſyndonè candidæ ſuturâ interpunctâ fiatq́; ſcutum cordiale quod intingatur in aqua Roſarum Aceto Rubi Idæi, aut alio quopiam cordiali, & vino albo fragrantiſſimo, cui cortices Citri immacerati fuerint, æqua proportione ſimul mixtis ac calefactis, ſcutum deindè hoc inter duos orbes leuiter expreſſum tepidè admoueatur cordi, ac poſt horam vnam atque alteram denuo intinctione renouetur, hæc enim vel odore ſolo ſpiritus reparant, & cordis vires inſigniter augent.

Dum

Dvm hæc aguntur, ſupra commemorata auxilia medica intrò aſſumenda non negligantur, ſic enim interna exterioribus, & hæc rurſus illis correſpondebunt. Singulis igitur horis quidpiam offer, quod virtutem vitalem fulciat, atque ideò nunc cibi, nunc potionis, nunc medicaminis confortãtis aliquid, ægro porrige, quo facultatem vitæ gubernatricem exuſcites, & contra morbum, imò verò mortem pugnare facias. Da ſæpè carnes Citri aut Limonum ſaccharo Roſato, Margarittis ac Corallis conſperſas, aut Conſeruam Acetoſæ aut Oxydis cum ſpeciebus cordialibus Alexand. vel buccellam panis vino (ſi calor permiſerit) alioquin ſucco Granatorum aut Arantiorum acidodulcium imbutam, ſpeciebus de Gemmis aut Diarhodon ſalipiſatam cum Manus Chriſti perlatis, modo quoque confectionis de Hyacintho nonnihil porrigito, aut Pleres archontici ſcrupulum dimidium cum conſerua Boraginis aut florum Tunicæ, vel Alchermes cum ſucco Limonis aut Agreſtæ. *Exercitatio Practica.*

His & conſimilibus medicamentis multum proficitur, & æger ad reiterandi ſudoris laborem rurſus viribus armatur. Videbis autem hæc Deo annuente perpulchrè proſperare, ſi æger obſequens ac morigerus fuerit & primo morbi initio auxilium quæſierit, ſic

Vicissitudo medicationis. enim modo contra veneni perniciē strenuè pugnabitur, modo viribus prospicietur, idq; certis temporibus, certa lege diuisis, ac modo victui, modo refectioni medicamentosæ, sudori modo, ac veneni depulsioni dicatis. Hæc si rectè attendas sic ferè negotium sese habebit.

Horarum dispositio. PRIMA & secunda medicationis hora sudoribus debetur, tertia refectioni per cardiaca medicamenta, quarta cibationi, quinta & sexta quieti, septima rursus refectioni, octaua ac nona apotherapiæ & lassitudinis ac febris depulsioni, decima rursus sudoribus, ac sic deinceps, quæ in quartum ferè diem sic continuare expedit, dum virus omne maleficum decedat ac expugnatū penitus fatiscat.

ATQVE hæc de refectionibus post sudorem administrandis dicta sufficiant, quæ omnia pro symptomatum diuersitate sunt varianda, ac nunc huc, nunc illuc dirigenda, prout occasio tulerit, & astans Medicus prudenter facto conuenire iudicauerit. Vt autem tractationi huic nihil desit, symptomatum quoque Pesti coniungi solitorum lenitionem, sequenti mox capite (DEO sic fauente) describere aggrediemur, quo in loco non pauca viribus instaurandis ac reficiendis idonea, præcipuè verò causis aduersis per quas hæ imminutæ ac labefactatæ titubant propul-

propulſandis, magna dexteritate oppoſita licebit perquirere, ſuo quæq; loco, ac tempore, laudabiliter ac dextre in proſperum ac ſalutarem vſum ducenda.

CAPVT XVII.

De ſymptomatum Peſtem comitari ſolitorum abolitione.

DIRA hæc & peſtilens omninò lues, inſignis prauitatis inſtinctu ac peculiari nocendi ſtudio propriis viribus haudquaquam contenta, alios plerosq; morbos ſibi adſciuit ſocios, quorum ope ac auxilio homicidia patraret, ac copioſiore ſtrage editâ, funeribus, trepidatione, luctu, mœroreque vrbes adimpleret, aut ſi hæc artis ope decedere coacta foret, in alias ægritudines morbifica translatione degenerans, tanquam in ſuburbia quædam cōmigrare poſſet, quarum vi, magnitudine, ac multitudine à prægreſſi morbi lucta feſſus æger, antè virium reparationem noua ſubſequentium malorum adorſione ſterneretur.

Peſtilentiæ morbi aſtus & malitia.

INTER hæc porrò ſymptomata, quæ Peſtis agminatim ſecum ſolet inuehere, pri-

Febris Peſtilens.

mas ferè tenet febris, eaque maligna, quæ vel per se sola vulgaribus præsidiis haud æque cedens, præproperam necem inuehere potis est, & cui insuper magna sæuorum accidentium caterua famulatur. Hæc autem febris quandoquidem cum veneno plurimùm participat, primitus antidotorum exhibitione impugnanda, qua ratione, vtpotè in quantum venenata est, primum medendi scopum ipsi quoque affectui principali (Pesti nimirum) communem obtinet, nihil autem, vel parum alexipharmaca in febris huius depulsione possunt, excepto hoc, quod veneni perniciem & malignitatem minuant, caloris autem ac æstus magnitudinem ac feruorem tantum abest vt reprimant, vt eum etiam persæpè exasperent, vtpotè quæ magna ex parte calida cum sint, febrile incendium augeant, idque aliter fieri nõ posse iam supra demonstrauimus, venenum enim his omnium primò pelli debet, quo non abacto, certa mors expectanda siet. Ast vbi venenositas artis ope aut naturæ post DEVM beneficio magna sui parte remota fuerit, tunc primũ febris commodis auxiliis tractanda venit & excipienda, cui inter cætera non parum resistent post sudores oblati haustus refectorii, superiore capite à nobis descripti, quos pro gradu & conditione febrilis excandescentiæ, modò magis

gis modò minus frigefacientibus medicamẽtis constare conuenit. Alioquin meus hic semper mos extitit. A-peracto post sumptum Alexiterium sudore, potum obtuli refectorium qui personę ac vitio nunc sic nunc aliter sese habenti conuenire videbatur, per diem verò totum singulis binis horis quamdiu febrilis æstus durabat, duo vel tria cochlearia syrupi alicuius refrigerantis obtuli, interim nihilominus cibo sorbili, vtpotè iusculis carnium sæpius in die ægrum instaurans. Mixturę syruporum hæ vel consimiles ferè erant. *Obseruatio Practica.*

℞ *Vini Granat. acidorum. vncias quatuor.* *Syrupi refrigerantes.*
Syrupi de succo Acetosæ. vncias tres.
De Limonibus. vncias duas.
De Succo Cichorii.
Agrestæ. ana. vnciam vnam.
Iulebi Rosati. vnciam semis.
Olei vitrioli q. s. pro iucundo acore.
misce.

SVMAT ex cochleari diu noctuque singulis binis horis pro vice vnciam circiter vnam & semis, vel paulò plus, aut permisceatur huius syrupi nonnulla portio, aquæ alicui coctæ (quarum varietatem cap. de Diæta reperies) & fiat transuasando Iulebum, de quo sæpius si sitis intensa est, potet.

Aliter

Aliter sic.

℞ *Syr. Acetosit. Citri.*
Granatorum acidorum.
De Fragis.
Endiuia compos. ana. uncias duas.
Vini Berberorum. uncias tres.
Olei Vitrioli q. s. pro iucunda aciditate.
Permisceantur.

Aut hoc modo.

℞ *Oxysacchara compos.*
Syr. de Limonibus.
Succo Acetosæ. ana. uncias duas.
De Rubo Idæo.
Violati ex succo.
Rob de Ribes, ana. unciã unã & semis.
Olei Sulphuris acidi q. s. pro concilianda aciditate. misce.

VBI magnarum obstructionum suspicio adfuerit, refrigeratoriis hisce deobstruentia nonnulla iungere necessum est, quæ tamen nullo insignis caloris alicuius gradu ferueant, quo nomine non immeritò commendandus est Syrupus Bizantinus vterque, Acetosus simplex, & Diarhodon dictus, ac in corporibus cacochymis aut cachæcticis, Syrupus de Cichorio cum Rhab. prout si ingens

Obstructiones efficaciter tollentia.

gens putredo adfuerit, alterantibus his frigidis Syrupi de ſucco Scordii, Cardui Bened. aut de Corticibus Citri portio aliqua permiſcenda, licet mixtura ab his nonnihil amareſcat & euadat ingratior, quod patienter quidem ægrum ferre decet, cum non ſemper poſſimus agere vt volumus, ſed quandoq; vt poſſumus medicari expediat.

OMNES ferè aut præcipuas intentiones hi ſyrupi, (poſt alexiteria) ſupplent ac expediunt, etenim veneno reſiſtunt Syr. de acore Citri, de Limonibus, & de ſucco Acetoſæ, qui etiam putredinem infringunt, cui ſtrenuè quoque reſiſtunt Syr. de Agreſta, Granatorum, Cydoniorum, de ſucco Scordii & Cardui ſancti, Oxyſaccharum vtrumque, Rob Ribes & Berberorum, ſitim ac calorem temperant iam dictorum pleraque, inſimul tamen quoque Syr. de Endiuia vterque, de ſucco Cichorii, de Fragis, Violatus, Ceraſorum acidorum, & conſimiles, cordis vires præterea reſpiciunt Syrupus de Pomis, Floribus Tunicæ, Rubo Idæo, ſucco Boraginis, Bugloſſæ.

HORVM autem coniunctio ſic artificioſe variatâ compoſitione contexenda, vt medicaminis vis, certa quadam proportione vrgenti cauſæ & prævalenti indicationi reſpondeat.

PRÆCLARE hîc auxiliantur olea illa Chymi-

Oleũ Sulphuris ac Vitrioli.

Chymica ex ſulphure ac vitriolo præparata, his enim potens quædam virtus putredinem emendandi, obſtructiones reſerandi, ſudores ac vrinas mouendi, venas peruadendi, cunctaque celeriter permeandi inſidet, etenim cum tenuiſſimarum ſint partium, non modo ſuas quas propria dote poſſident vires, confeſtim exerunt, ſed aliis commodis ac auxiliaribus medicamentis permixta, eorum operationem accelerant & intendunt, imò ſegnem ipſorum operam extimulant, quibus ego vix vnquam carere voluerim, præterquam vbi exulceratio aliqua interna, vel vaſis alicuius diſruptio horum exhibitionem prohibuerit. Hæc enim incîdunt, attenuant, diſſecant, abſtergunt, concoquunt, mundificãt, aperiunt, corrupta ſeparant, emendabilia ad meliorem ſtatum deducunt, nullam excretionem interim prępedientia, imò omnem qualiumcunque excrementorum excluſionem adiuuantia, & vel puerilus, ſenibus, adultis, viris ac mulieribus, imò etiam grauidis tuta.

NON deſunt qui ſiccitatem horum ingentem imò & cauſticam ac adurentem eorum vim valdè metuant, ac neſcio quo ſcrupulo in erroneam conſcientiam adacti, variis propriarum opinionum procellis hinc indè diſiiciuntur, vt in horum exhibitione & hæſitent, & titubent, ac interim (cum tanto bono per

no per inertem ac inutilem imò noxium metum defraudentur) in graues errores incidunt. Hi ſanè parum in artis operibus exercitati mihi videntur (quod tamē pace ipſorum dixerim) etenim nec ego hæc ſine ratione exhibuero, licet millies hæc profuiſſe monſtrauerit experientia. Rationibus morbi non curantur, ſed experimētis, experimentis verò ſine ratione non temerè fidendum, interim tamen fidum ego præſidium non neglexero, tametſi eius mihi ratio penitus nondum cōſtet. Oleum vitrioli cauſticum eſt, & tamen cum infrigidantibus datum ac porrectum, febres potenter extinguit etiā ardentiſſimas, & qui Syrupus ſecundo gradu refrigerabat, addito ol. vitrioli, tertium infrigidationis gradum attinget, idem de calidis eſto iudicium. *Mira de Oleo Vitrioli.*

PARADOXA hæc eſſe videntur & à vulgari ſenſu ac opinione nonnihil remota, tam diuerſos imò contrarios planè effectus ab vno eodemq́ue agente proficiſci non ſine admiratione docentia, per quæ oleum Sulphuris ac Vitrioli, (ijſdem ferè viribus inſignita) modò laxare, modò aſtringere, nunc ſudores, nunc vrinas, nunc aluum mouere, modo calefacere, frigfacere modo animaduertimus, quomodo hæc ipſa cauſtica eſſe & adurentia ſenſus commonſtrat, quibus tamen vna cum frigefacientibus exhibitis feruentiſſimas validiſ-

lidiſſimaſque febres æſtuſque internos, & à bile progenitas excandeſcentias promptè extinctas ac abolitas vidimus.

Syrvpi refrigerantes, inter quos Syrupus de Cichorio, Papauere, Endiuia, Nymphæa, Violatus, de Semperuiuo, Portulaca, & complures alii dulces cum ſint vtplurimum, vtpotè multam ſacchari conditurам habentes, febrium feruoribus extinguendis cum exhibentur, non rarò in bilem conuerti, ac ſic morbum protinus augere, vel ad minus vix tantum bilis domare, quantum ſua dulcedine procrearunt, ideoque parum quandoque prodeſſe vix dubito, attamen ſi hi addito oleo Vitrioli aceſcant, ſitim illicò compeſcent, æſtum refrigerabunt, calorem febrilem reprimеnt, oris amaritudinem auferent, linguam præſtabunt humectam, obſtructiones à dulcibus augeri ſolitas, & febribus alioquin congeneres ac plusquàm conſuetas tollent, vrinas ac ſudores prolicient, lenta diſſecabunt, craſſa attenuabunt, viſcoſorum abſterſioni ſtudebunt, cruda concoquent, ac vt vno verbo dicam medicamenti exhibiti (ſiue calidum id ſiue frigidum fuerit) vim, multum vigorabunt, & magna virtutis acceſſione citius, gratius, ſecurius, felicius & efficacius operari facient.

Avdacia in Medico nunquam laudanda

[ce]landa cum ſit, vtpotè quæ protinus in teme-[r]itatem abeat, quorundam tamen pueriles [ſ]crupulos, vtpotè magna in multis compa-[r]andę ſanitatis obſtacula, mirari ſatis nequeo, [q]ui tantâ (vti ſibi videntur) conſcientiâ an-[x]ioſi toties ſuſpirant, religioſe admodum in [h]is verſandum eſſe cenſentes, cum æquè ma-gnus error in aliis pharmacis qualia ipſis tu-[t]iſſima reputantur, perſæpè committi ſoleat. De horum autem omnium conditione ac dextro vſu experientia vtpotè fida rerum ma-giſtra conſulenda.

Tu igitur, præſertim vbi multa prauo-rum ſuccorum congeries corpus aggrauat, & vbi humores in putredinem abripiuntur, aut viſcera obſtructa ſunt, ſecurus his vtere, com-modis ea medicamentis (cum per ſe ſola nec exhiberi nec aſſumi queant) admiſcendo, ea quantitate, quæ guſtū acore ac acrimonia nō offendat. Hoc ſolū aduerte, ne hæc iam dicta (acria cū ſint) læſis pulmonibus, aut diſrupto vaſe quopiā, vel exulceratâ parte aliquâ inter-nâ porrigas, quomodo in Dyſſenteria, Pthiſi, ſputatione cruenta, ſanguinis mictu, Renum & Veſicæ exulcerationibus, prout & ſi ven-triculum Phlegmone, aut pectus Pleuritis obſidet, ab horum exhibitione penitus ab-ſtinendum, ac in ſenibus & extrema macie aut marcore conſumptis parcius his vtendū.

In quibus caſibus oleum Vitrioli & Sulphuris non exhibendum.

Sed & morbi ferè omnes pectoris hæc no ferunt, excepto Asthmate aut Orthopnæa crassa pituita, bronchia pulmonis occupant proficiscens, cui oleum Sulphuris cum Oxymelle Scyllitico aut Syrupo de Prassio magnum adfert auxilium. Verum nos de his aliâs DEO vitam & gratiam dante plura & ei instituto forsan acturi sumus, tu interim tutus (ritè tamen & casus iam recensitos euitando) his vtere, quæ vsus millies, ac millies fidos ac salutares effectus edidisse monstrauit.

FEBRIS igitur refrigeratoriis Syrupis Iulapiis, Epithematibus, perunctionibus, ac similibus medicamentis alterantibus impugnanda, quibus quæ putredinem emendant ac opilationes deobstruunt, pro indicationum præualentium commonefactione & instinctu adiungenda, vel ex his ea quæ potiori necessitati subuenire præ cæteris valeant eligenda. Ita si putredo febrem excedat, Carduí Scordii ac similium dosis, refrigeratoria simul exhibita iustâ proportione sui quadam parte æquet; sin verò febris putredini præualuerit, Acetosæ, Cichorii & similium frigefacientium quantitatẽ, cætera putredini singulariter dicata medicamina superare cõuenit, sic morbi semper conditio dextrè obseruabitur, & quæ auxilii loco vel adhibenda

In quibus casibus oleum Vitrioli & Sulphuris non exhibendum.

vel

vel exhibenda fuerint, ritè & ex artis præscripto, ac dextro planè vsu, cooperante diuinâ gratiâ non absque insigni fructu administrantur.

GENVINO huic Pestis symptomati, nempè febri, succedit nonnunquam capitis dolor ingens, vtpotè cùm putredinis ac caloris focus è profundo corpore in cerebrũ exspirat, aut id noxij cuiuspiam humoris participatione vel distendit, vel aliter aggrauat, aut transmisso illuc acti ac plusquam molesto vapore conuellit. Hæc igitur attendere conuenit, etenim cum tale quid metuitur, confestim commodis præsidiis auxiliandum. In principio igitur capiti Oxyrrhodina applicãda, quæ humorum fuliginumq́ue accursus repellant ac deprimant. Vt.

Dolor capitis.

Oxyrrhodina.

℞ *Ol. Rosati Omphacini. uncias tres.*
Violati. vnciam vnam.
Aceti Sambucini vel Rosati.
Vnciam vnam semis.
Probè agitando commisceantur.

Aut.

℞ *Aq. flor. Sambuci.*
Rosarum.
Nymphea.
Olei Rosati Omphacini.
Aceti de Rubo Idæo Sambucini, Rosati,

vel vulgaris. ãna. vncias duas.
Santali rubri & Citrini. ãna. ſcrup. vnum
Camphoræ. grana quatuor.
Miſce f. Oxyrrhodinum.

Aliud.

℞ *Rad. Rhodiæ. vnciam vnam.*
Aq. Roſarum.
Lactucæ. ãna. vncias nouem.
Bulliant ad tertiæ partis conſumptionem & colentur. Colaturæ adde.
Aceti Sambucini, vel vulgaris. vncias du
Camphoræ. grana ſex.
Olei violati.
Roſati. ãna. vncias duas.
Miſce. Concutiantur in vitro quoties adhiberi neceſſum fuerit, & tepidè applicentur.

Præclarè ad rem facit, Emulſio nucleorum Perſicorum, quæ in hunc modum parari poterit.

Emulſio nucleorum Perſicorum.

℞ *Nucleorum Perſicor. drach. ſex.*
Sem. Papaueris albi.
Anethi. ãna. drach. tres.
Aq. flor. Sambuci.
Lactucæ.
Roſarum. ãna. vncias tres.
fiat: ſ. a. Emulſio cui adde
Aceti de Rubo Idæo. Roſati vel Sambucini

Ol. Ro-

Ol. Rosati Omphacini.ana.vnciam vnam.
Violati vel de Nymphaea.drach.sex.
Camphorae.grana v.
misce.

ANACOLLEMATA ac Periapta similia
pidè linteis intinctis rursusque expressis
onti ac temporibus applicanda, ac saepius de
e innouanda.

Cautio tamen haec adsit ne cerebrum ni- *Cautio.*
io infrigidantium vsu laedamus.

Sunt haec principiis apta antequam noxii
imores cerebrum occupauerint, quo iam
bsesso, metuendum, ne repellētia istiusmo-
i & refrigeratoria impuros humores ibi-
em contentos incrassent ac impingant, vn-
è Lethargus, Coma, Caros, Cataphora, Apo-
lexia, vel aliud aliquod malum metuendum
et, sic certis quaeque temporibus conueni-
int, quae insulso vsu praepostera euadunt ac
ociua, vbi enim longius malum processerit,
iscutientia his iungere fuerit opportunum.
go hoc vnguento communiter vsus sum.

℞ *Vnguent.de Alabastro.vnciā vnam semis.* *Vnguentū pro vsu cō-muni.*
Populei.vnciam semis.
Camphorae.grana sex vel septem.
Aceti Sambucini modicum
misce.

Obducatur duplex pannus hoc linimento & fronti ac temporibus imponatur. Vnguentum de Alabaſtro in principio morbi non conuenit, niſi refrigeratoriis, vtpotè vng. Populeo, aut vbi vigiliæ vrgent, oleo Papaueris per expreſſionem parato magis temperetur: at progreſſo affectu dolores egregiè diſcutit, ac eorum ſæuitiam diſſipatis humoribus vaporibusque noxiis ſedat.

PLACENTA Roſaceâ, aquâ propriâ madefacta, aut Pampini folia capiti imponuntur. Raphani in longum diſſecti laminæ ſale conſperſæ, aut Anagallidis recentis folia addito ſale & aceto modicè contunduntur, aut argilla ex aceto ſubacta pedum plantis alligantur, quibus febrilis calor nonnihil limitatur, & vapores à cerebro diuertuntur. Vetularum Erucationes & Synapiſmos (quorum illis creber eſt vſus) tanquam periculoſa remedia penitùs reiicio, metuendum etenim, ne dum his humores în cerebri ventriculis hærentes euocare ac diſſipare ſtudemus, inflammationem aliquam aut ſiccitatem admodum nocuam introducamus, vel calidorum horum vſu caput ſuccenſum, è profundo corpore copioſiora excrementa attrahat, aut ea ſaltem quæ iam ibidem cumulata ſunt, exacuat.

Synapiſmi non ſemper tuti.

Vigiliæ.

CAPITIS dolori vigiliæ ſuccedunt ſub qua-

quarum perseuerantia vires fatiscunt, quo nomine sed non antè quintum aut sextum diem (cum in morbi huius principio vigilare magis quam dormire expediat) somnus leuiter alliciendus, ac modicus subindè sopor procurandus. Præstant autem id inter cætera inunctiones somniferæ quas sic parare conuenit. *Inunctiones somniferæ.*

℞ *Vng. de Alabastro.*
Populei.ana.vnciam semis.
Ol. Papaueris expressi.drach.vnam semis.
M.f. Linimentum quod lineo panno exceptum fronti ac temporibus applicabitur.

Vel,

℞ *Ol. violati.*
De Nymphæa.ana.vnciam vnam.
Sambucini.
Anethini. ana.drach.tres.
Opii. grana tria.
misce.
Linteum in hoc madescat, quod tepidulum, frontis ac temporum regionibus adhibeatur.

Placenta è Papaueris Rheadis seu erratici floribus, aquâ Lactucæ conspersa, capiti superponitur, ac ex violaria, Nymphæa, foliis Salicis, Pampini, floribus chamomillæ, ac meliloti,

liloti, & capitibus aliquot Papaueris pedilotia parantur, quorum antè noctem ad semihorulam vsus iniri queat.

Intrinseca somnum prouocantia.

INTRA corpus exhibentur, Syrupus de Nymphæa, Papauerinus, vel Diacodion pondere vnciæ vnius.

Vel.

℞ *Conserua Nymphea.*
Violarum. ãna. drach. duas.
Pil. de Cynoglossa. gran. tria vel quatuor.
M. f. Bolus quẽ æger somno destitutus deuoret.

ALIOQVIN Emulsiones seminum frigid. hic quoque iuuare solent, quibus nihilominus Alexiterium aliquod vtpotè semen Citri indi potest hoc modo.

℞ *Quatuor semin. frig. maior excort.*
ãna. drachmas duas.
Sem. Papaueris albi.
Citri. ãna. drach. vnam.
Tab. Man. Christi cum Perlis. vnciã semis.
Aq. Rosarum odoratiss.
Lactucæ. ãna. vncias duas.
F. s. a. Emulsio.

THERIACA quoque recens somnum conciliat, certius autem id præstat, si ei modicum

cum

cum Philonii aut Requiei Nicolai admiſcetur. Semper autem ſtudendum, vt frigidioribus hiſce Narcoticis, parca manu vtamur, ac vt ea tanta dexteritate & adhibeamus, & exhibeamus, nõ vt inducto ſtupore ſomnũ violenter vrgeant, ſed vt eundẽ haud aliter quã data occaſione tantũmodo alliciant. Deindè quoq; animaduertendum ne cerebrum nimis quàm par eſt, per extrinſecus applicata medicamina refrigeretur, ideóque ſoporiferis inunctionibus irrigationibusque, ſemper aliquid quod cerebro familiare exiſtat, adiungẽdum, quodque modico calore perfuſum frigidiora cætera nonnihil temperet, ac ad paulò moderatiorem craſin deducat, ne vel ſtupor excitetur, vel morbifica materia cerebro impacta Paralyſin & alia grauia mala procreet, quod cum paulò antè attendendum eſſe docuerimus, nunc denuo pro præcauendis noxis ab indecente Narcoticorum vſu prodeũtibus admonere non piguit.

Cautiones in vſu Narcoticorum obſeruanda.

Capitis dolorem, ac vigilias, comitari non ratò ſolent deliria, ac mentis extrauagationes à calidis vaporibus magnâ copiâ in caput expirantibus, aut bile, vel alio quopiam ſuccenſo humore celeri quodam raptu in cerebrum delato, ſuam originem ducentes. His ea vtplurimum medentur remedia, quæ capitis dolores ac vigilias demulcere tradidi-

Deliria.

mus, tum verò & deriuationes, frictionibus institutis, aut vesicis hinc indè debitis in locis suscitatis varimodè celebratæ. Hoc anno (quod non sine admiratione spectauimus) complures in Xenodochio deliriis molestati & paraphrenitide grauiter exagitati, qui compedibus ac loris deuincti, ac lecticis alligati sine vllo rationis vsu decumbebant, & parum vel nihil cum cibi tum medicaminis assumebant, tanquam excoctâ crapulâ intra triduum aut quatriduum ad menté redeuntes conualuêre, an quod venenum hoc impetu disiectum ac excussum fuerit? vel quod hoc ipsum sparso per vniuersum febrili incendio conflagrârit? aut excandescentiâ quaquauersum sese pandente in varias & minus nobiles partes diductum, debilius (cum virtus vnita fortius agere soleat) euaserit, quod tandem sudoribus aut insensili transpiratu natura vacuârit. Sanè qui ad sensum grauiter febricitant, minori periculo plerumque laborant, quàm ij qui tactu perceptibilem æstum non obtinent, vndè plurimi ferûenter in hoc morbo ardentes, DEI beneficio, sanitati sunt restituti, cum alii qui ad tactum algebant, aut tepidum saltem manibus calorem proponebant, vtpotè quibus febris è profundo non ascenderat, interierint. Ratio est, quia venenũ in his concentratum ipsa cordis penetralia

Qui in Peste tepent vel algent, grauius laborant, quam qui æstuant.

netralia ſubit, vbi confeſtim ſpiritus vitales enecat, & vires quaſi falce proſcindit, cum in aliis quibus febris in totum corporis ambitum diſtrahitur, partes minus principales à veneno vna cum calore eô diducto ac transfuſo plurimum patiantur, principalia verò viſcera excuſſa quodammodo & ad ignobilia membra delegatâ labe plus magis immunia ſint effecta ac libera.

LETHARGVS, veſicatoriis, frictionibus, aut procuratâ ſternutatione tollitur, interdum quoque clamoribus, vociferationibus, ac corporis veternoſi concuſſionibus conuolutionibusque. Aliquando (ſua tamen lege vt cum vitium in cerebro potiſſimum ſtabulatur, venter autem prauis ſuccis non valdè circumfluit) capiti fotus quidam ſalutares ex modicè diſcutientibus parati adhibentur. Vtpotè. *Lethargus.*

℞ *Florum Sambuci. manip. vnum ſemis.* *Fomētum pro capite.*
Roſarum.
Chamomillæ.
Meliloti ãna. manip. vnum.
Herb. Betonicæ. manip. duos.
Agrimoniæ.
Paralyſeos.
Maluæ.
Origani.

Saluiæ

Saluiæ syluest. ana. manip. semis.
Polii montani.
Saturegiæ.
Calaminthæ.
Rorismarini.
Spicæ Celticæ ana. pugill. ij.

Incisa duobus lineis sacculis insuantur, qui ex æquis vini, aceti, & aquæ partibus decocti ac expressi, alternatim capiti adhibeantur, cauendo ne vnquam penitus refrigerentur, à quo cerebro noxa sit metuenda. Consimili fotu vbi caput per horam rigaueris, linteaminibus tepidis madorem abstergito, caputque oleo Chamæmelino, Sampsuchino, ac Rosaceo completo simul commixtis perfundito, recentemque Rutam ex aceto conquassatam naribus persæpè obtrudito. Poteris his herbis etiam Tiliæ, Verbasci, ac Liliorum conuallium flores adiungere, quibus etiam resoluendi ac dissipandi vis quædam insignis inest. Vel.

℞ *Mithridatii aut Theriacæ vel Aureæ Alexandrinæ drach. vnam.*
Castorei scrupul. vnum.
Sem. Maioranæ.
Ocymi Caryophyllati. ana. scrup semis.
Specier. Diambræ. grana. xv.
Succi Rutæ. vnciam semis.

Contundantur simul in mortario, & affusâ vncia

tiâ vnâ aceti Calendulati, vel Theriacalis, aut alterius consimilis, emulgeatur per pannum liquor, cuius portio faucibus ægri ingeratur, vel in eo penna madescat qua palatum & labia perungantur.

IVVANT hic quoque Phœnigmi & cucurbitulæ occipiti eo in loco vbi capillus desinit affixæ.

IN Epilepsia (quæ non raro Peste detentos adoritur, à venenatis vaporibus in cerebrum delatis, aut humore quopiam maligno ac acri, meninges ac cerebri tunicas & sepimenta conuellente originem ducens) diuersionibus quibuscunque ac præsidiis iam modo commemoratis malum à capite remouere ac abstrahere satage. Brachiis proindè aut collo cauteria inures, vesicas suscitabis, frictiones administrabis & errhina, acetum insuper Rutaceum subcalefactum naribus sæpius admouebis, ac omnibus quibus potes modis, noxam à Palladis arce diuertere ac à nobili parte (si felicius agi non potest) ad minus nobilem studebis distrahere, non neglectis interim specificis illis ac appropriatis remediis, quę aliâs ad conuulsiuos Epilepsiæ insultus salutariter porriguntur. *Epilepsia.*

AQVÆ igitur sequentis, singulis binis aut ternis horis duo vel tria cochlearia exhibeto,

beto, quam pro febrilis caloris occasione, nunc sic nunc aliter moderaberis. Ea sic habere potest.

℞ *Aq. Cerasor. nigror. vncias tres.*
Flor. Tiliæ.
Lilior. conuallium.
Hyrundinum. ãna. vnciam vnam.
Aq. Cinamomi.
Vitæ Langii. ãna. vnciam semis, vel drach. sex.
Syr. florum Pœoniæ. vncias duas.
Misce ad Vitrum.

Si efficacius operari volueris, matutinæ ac vespertinę dosi, sequentis pulueris scrupulum plus minus iniicito simulque exhibeto.

℞ *Sp. Diarhod. Abb. drach. vnam.*
Diambræ.
Diamosci dul.
Succini albi præpar.
Vngulæ Alcis.
Visci quercini. ãna. scrup. vnum.
Sem. Pœoniæ excorticati. scrup. duos.
Margaritt. præpar.
Oculor. Cancri præpar. ãna. scrup. semis.
Smaragdi præpar. grana septem.
M. f. Puluis.

Huic

Huic pro diuitibus nonnihil lapidis Bezoardici iungito ac ex aqua præscripta bis die scrupulum porrigito. Aduerte etiam an vapores cerebrum conuellentes crassi magis sint, an verò magis acres, in crassis errhina multum proderunt, non itidem in acribus, vbi hæc acrimoniam aliqua ex parte exuscitare & exasperare posse metuimus. Verum de his prudens Medicus cogitabit.

VERTIGO, fatuitas & memoria deperdita, restituitur iis remediis, quæ spiritus cum vitales, tum his successorios animales regenerant, etenim hi affectus à sola spirituum, à veneni pernicie & morbi malitia exanimatorum ac enectorum, vel aliter debilitatorum aut deprauatorum penuria ac defectu dependent. His igitur quibus cerebrum magnifica sua vi, eaque multiplici, aliqualiter destitutum esse videtur, sæpè porrigendum aliquid quod nouos spiritus in dissipatorum ac euanidorum locum sufficiat, ac regenerata eorum propagine, nouos tanquam ciues haud aliter quam deductâ coloniâ, in vacuam ciuitatem reponat. Proindè horis successiuis Tabulati de Extracto Ligni Aloës, Diambræ, Diamosci ac consimilium confectionum nonnihil porrige, Vel. *Vertigo fatuitas & memoria deperdita.*

℞ *Cons. Anthos.*

Fl. Paralyseos. ana. drach. duas.

Spec. Diarhod. Abb. vel Diambræ.
Plirisarcot. ana. gr. vij.
Syr. de Limonibus q. s. m. f. Bolus quem capiat vna vice, idq; toties repetat, quoties necessitas exegerit.

VINVM Saluiatum, Rorismarinatum, Iuniperinum, ac Citrium his prodest, vbi febris, & cum hac periculum desierit, eueniunt enim ista, vel saltem plerumq; tum demum animaduertuntur, cum ægri iam iam emerserunt, qui tamen vita donati, fatui quodammodo ac reminiscentiâ priuati discurrunt, ac si repuerascerent. Nux moschata Indica recens condita, & Calamus Aromaticus ac chylisma ipsius subamarum præclarè hìc auxiliantur, quin etiam Citri & Arantiorum flores & Myrobalani Chebuli præsertim, saccharo conditi. Alchermes ob Ambram & alia nouos spiritus suggerentia. egregiè vires reponit, similitèr & Diaxyloaloes ac alia his similia quorũ numeroso thesauro medicina DEI dono & gaudet, & abundat.

Parotides. PAROTIDES hoc in morbo emergentes malignæ cum sint ac venenatæ, minimè, repellendæ sunt aut reprimendæ, sed potius euocandæ, illarumq; pepasmo ac apertioni magnoperè incumbendum.

℞ *Ol,*

℞ *Ol: Chamomillæ.*
Lilior: alb: ãna. Vnciam vnam.
De Scorpionibus. Vnciam semis.
Misce. Calefiat & apponatur per hapsum aut lanam Xylinam.

VEL accipe micam panis triticei, hanc in lacte coctam, addito croco, oleo Scorpionum & Chamæmelino, aut Liliaceo subigito, & Parotidi apponito. Aut farinam seminis Lini in lacte coquas, ac addito vnguento de Althea, & adipe Anserino in pulticulam redigas, quam calidè applicabis. Alioquin etiam Emplastrum Diachylon vsurpari poterit. Quod si autem Parotides insignis uenenositatis vi, in tantam malitiam adactæ, metu suffocationis increuerint, pepasmus earum nõ est expectandus, sed caustico aliquo rumpendæ sunt, quô veneni sterquilinia profluant, ac vnâ pernicies expiret.

AVRIVM quoque dolor acerbissimus, vt qui sua immanitate crudeliter hominem enecare potis est, minimè negligendus. Huic igitur demulcendo studet præ cæteris oleum Amygdalinũ cum modico Populeo auri tepidè infusum, nec non fotus per spongiam auri adhibitam, quæ in decocto Chamomillæ, Meliloti, florum Sambuci, herbæ Paralyseos, Anethi, Nymphea, & similium madue- *Auriũ dolor perquã acerbus.*

rit, cui decocto quandoque (vt cum dolor extremè hominem cruciat, & vbi metus est ne ob huius acerbitatem homo deficiat) nonnihil sem. aut Rad. Hioscyami aut Mandragoræ iungendum. Aliâs.

℞ *Ol. Violati.*
Amygdal. dul. ana. drach. tres.
Anethini. drach. duas.
Croci grana. vij.
Castorei.
Opii. ana. grana. duo. vel tria.
Commisceantur.

De hac mixturâ bombace exceptâ, aliquid auri immittito, & micam panis triticei recentis, ac si haberi potest adhuc à furno calentis, calido lacte, quod copioso croco tinctum sit subtumefactam, rursusque expressam, calidè auri admoue, quò vapor auris antrum subeat. Hæc autem multiplici linteo obtegere conuenit, quò calor eorum diutius perseueret, etenim frigefacta tantum abest vt prosint, vt vel maximè noceant, proindè calor eorum sæpius innouandus, & applicationis principium nullo tædio repetendum.

Ophthalmia. In Ophthalmia & oculorum inflammationibus quæ huic morbo crebrius coincidunt, ponè aures adhibito sem. Sinapis & Canthari-

Cantharidibus ex fermento acri ſubactis veſicas ſuſcita, oculis verò ipſis hac vel conſimili aqua proſpice.

℞ *Aq. Roſarum. vncias duas.*
Fragorum ex fructu.
Conſolidæ regalis. ana. vnciam vnam.
Albuminis oui conqaſſati ac fortiter agitati & virgultis concuſſi. unciã ſemis.
Pulueris Nihili. ſcrup. ſemis.
Tutiæ præpar. Scrupul. vnum.
Camphoræ grana. vij.
Miſce ad Vitrum.

Hvivs aquæ portio aliqua, crebrius in die, oculo dolenti ac inflammato immittatur, & lineus panniculus multiplex, hâc aquâ madefactus, totum tegat oculum. Huic in ſtatu aut decreſcentia, diſcutientia, ac glutinantia nonnulla, pro prudenti iudicio adiunges, nimirum aquam Fœniculi, Chelidoniæ, Crocum, Aloëm Soccotrinam, Sandaracam in lacte nutritam, & his ſimilia, prout ſi in principio doloris acerbitas id poſtulare ac exigere viſa fuerit, Sief album cum opio pauxillâ portione huic liquori permiſcendum.

Si Hæmorrhagia narium moleſta ſit (quam ſuprà cum de ſignis ſaluté aut interi- *Hæmorrhagia narium.*

tum ægri præsignificantibus ageremus mali ominis vicem supplere tradidimus) attende, num delirium aut grauis capitis dolor, vel simile quid in capite hæreat, cui in aliis morbis non pestilentibus, hæmorrhagia salutem ferre queat, & tunc si corpus plethoricum est, ac ætas, & prægressa victus ratio id suaserint, aliquantulum sanguinis fluere permittito, adhibitâ diligenti animaduersione, num æger ab hoc iam dicto sanguinis stillicidio, circa symptomata aliqua subleuetur, quod si fit, bonum est, sin minus, protinus hæmorrhagiam cohibe, ac sanguinis ebullitionē compesce, adhibitis cordi & iecori frigidis epithematibus, aut testibus (si tamen bubo in vicino non hæret) in acetum frigidissimum demersis. Deindè verò,

℞ *Aq. Plantaginis.*
Centinodii.
Bursæ Pastoris.
Aceti Rosati.ā̄na.vncias tres.
Trochis:de Terra sigillata.
De Carabe ā̄na.scrup.duos.
Spec.Diarhod.Abb.
Diatrion Santal.ā̄na scrup.vnum.
Camphoræ.grana tria.
Misce ad Vitrum.

In hac aqua intinctus crassus aut reduplicatione den-

ne densatus pannus intingatur, qui fronti, temporibus, & nuchæ, frigidus apponatur. Interim tamen naribus sugendum sæpè ac attrahendum dato liquorem sequentem.

℞ *Aq. Spermatis Ranarum. vncias quatuor.*
Fragariæ.
Portulacæ. ãna vncias duas.
Aluminis crudi. drach. duas semis.
Misce ad Vitrum.

HANC mixturam sæpius naribus potenter attrahat, vt per fauces rursus decurrat, cui nonnunquam iungere licebit succum vrticæ ac Pimpinellæ sanguisorbæ, Bursæ pastoris, Solani, Centinodii, Porri, Millefolii aut Equisethi. Ad intra Bolus Armenus ex posca Rosacea porrectus sanguinis ebullitionē sedat, & humorum orgasmum ac nimiam exagitationem compescit, similiter & Terra sigillata, nec non Trochisci de Spodio, Santalis, Carabe, ac Diarhodon dicti, ex conuenienti liquore potati. Emplastrum Santalinum cum Camphoræ momento hepati superponatur, ac dextro Hypochondrio aut ceruici, vel si mulier sit, mammis cucurbitula affigatur, naribus verò gallarum puluis, aut leporis pili exusti, quin etiam Salicis flores & Lini pratensis papi ac Cydoniorum lanugo insuf-

Interna medicamenta hæmorrhagiæ destinata.

insuffletur, ac fronti emplastrum ex Gypso, sanguine Draconis, Bolo Armeno, Hæmatitide, Trochis: de Carabe & aliis eandem vim possidentibus, addito aceto & alumine imponatur, ac suillum aut asininum stercus naribus obtrudatur.

AQVA Spermatis Ranarum cum succis antè commemoratis & alumine multum hic potest, plura tu ac potiora apud Practicos passim reperies, quorum copiam tibi diligens eorum lectio subministrabit, nostri instituti nunc non est particularia hæc ex professo tractare, sed aliqua saltem pro vsu communi depromere, quibus si dextrè quis vtatur, tantisper contentus esse queat, dum meliora ac efficaciora repererit. Diligenter autem huic malo attendendũ, etenim multi (vt Poeta ait)

——*extremam fundunt cum sanguine vocem.*

Aphtæ. Aphtis medetur decoctum Semin: Sumach ac Malicorii cum succo Granatorum, aut decoctum corticis mediani fruticis Berberorum cum Balaustiis addito succo Acetosellæ & Syrupo Myrthino vel de Rosis siccis.

QVIN etiam vino Cydoniorum addito Rob Diamoron os colluere conuenit, & decocto Rubi ac Santalorum cum succo Ribes, Melle Rosato, ac succo Mali punici aciduli. Decoctum Ligustri eximiè prodest, cui Rob Nucum Syr. de Agresta aut Mel Rosa-

tum

rum licebit adiungere. Præstans medicamentum præbet aqua è Iuglandibus immaturis tusis & aceto aspersis extillata, ac cum Syr. vel Rob Berberorum, ac Melle Rosato gargarisata.

NVNC tandem ad Prunam seu linguæ inflammationem veniamus, quod symptomatis genus Peste correptis perquàm familiare esse solet, sub quo lingua redditur atra, ac incensi sanguinis fuligine & calore exurête adeò torretur, vt saliuali linguæ humiditate, quam ex adenibus oris irrigationi natura deputauerat absumptâ, scabra hęc, arida, motu grauis, & tactu euadat aspera, neque hæc tamen exustio solâ linguâ contenta existit, verum etiam fauces, guttur & oësophagum perreptat, donec ad os vsque ventriculi noxa propagetur, vbi ferè de vita iam actum esse vulgus è multorũ strage didicit, huicq; malo peculiare nomen adinuenit die Hertzbreüne/ ac si oris ventriculi Gręcis καρδία dicti inflammationem scitè admodum innueret. *Linguæ inflammatio seu Pruna*

HIC igitur magnâ diligentiâ opus est, huiusq; symptomatis profligationi remis velisq; cum à Medico tum ab ægroto sedulò incumbendũ, etenim vel parum neglectum imedicabile ferè euadit vix vllam amplius opem agnoscens. Primitus itaque poscâ Rosaceâ vel decocto Solani ac Sépéruiui os sæpè col-

luatur. Vel vtatur æger multoties in die sequenti Gargarismate.

℞ *Aquæ Semperuiui. vncias sex.*
Lactucæ.
Prunellæ ana. vncias tres.
Rob Diamoron. vnciam vnam semis.
Nucum.
Mellis Rosati colati. ana. drach. sex.
Misce f. Gargarismus.

Efficacius operatur hoc medicamentum si sumatur aqua Semperuiui non simplex sed composita, vtpotè quæ salis Ammoniaci in fouea vnâ cum iam dicti Sedi foliis antè distillationem eliquati iustum pondus habeat, adiicitur autem ferè libræ Semperuiui, Salis iam dicti Ammoniaci vncia semis. Quod si hæc aqua sic parata præstò non fuerit, in Gargarismum iam modo descriptũ, scrupulum aut drach. semis huius Ammoniaci salis coniice, nec te saporis ingratitudo terreat, cum vtilitas patientiam larga remuneratione sit ditatura. Idem præstat Nitrum depuratũ ex aqua Semperuiui, Solani, vel Prunellæ non modo gargarisatum, verum etiam potum.

Inflammationi huic linguæ neotericorum solers opera ac studium Dei beneficio

neficio adiutum præclaram Nitri præparationem aduenit, quæ in hunc ferè modum perficitur.

Accipe Nitri mundissimi in pila probè comminuti quantum volueris, hoc in sartaginem æneā candentem iniice, vt aquæ limpidissimæ instar colliquescat, huic dum ebullit ac feruet, superiniicito sulphuris puri in pollinem redacti pugillum semis, cuius cum flamma cærulea euanuerit, rursum nonnihil iniicito, sulphuris hanc iniectionem ter quaterue iterando. Demum vasi figulino Nitrum hoc liquefactum infundito, vt in albas rotulas refrigeratum coaguletur, de quo detur scrupulus seminis aut paulò plus ex aqua Prunellæ aut AiZoi seu Sēperuiui ægris incendio flagrantibus, vel permisceatur huius drachma vna semis supradescripto gargarismati quo æger os sæpè sæpius colluat, ac eius gargarismatis portiunculam aliquā semper deglutiat, sic liquores refrigerabunt & sal penetrando feruorē secum educēs absterget, & linguæ asperitatem auferet.

Egregiè hoc iuuat vel in desperatis non contemnendum remedium.

℞ *Cancror. fluuiatilium viuorum, numero* vj. *vel* vij.

Fol. Semperuiui manip. tres.

Contundantur simul fortiter in mortario & exprimatur succus, cui adiice Salis Nitri

præparati, vel si id desit, Salis Ammoniaci quantum sufficere videbitur, de hoc liquore æger nonnihil potet, & sæpius eundem gargariset.

VVLGVS proprio experimento puluerem Pyrium ex aqua Sedi propinat eodem planè argumento. Nonnulli linguam lardo aut butyro recente ex aqua Rosarum loto fricant. Curationis probè succedentis signum est, si fuligo atra decedat ac lingua rimis dehiscens humescere ac mollescere incipiat, sique cutis ramenta tanquam excoriationes decidant, ita vt faucium exuuias ægri screatu reiiciant. At tum palatum dolitat & tenuissimâ cuticulâ conuestitum ob teneritudinem vix quidquam ferre potest, sed leui acore & vix perceptibili acrimoniâ confestim offenditur, quod cum prægressæ inflammationis stigmata adhuc ferat, noua pelle vestiendum, ac sic penitus & refrigerandum & persanandum occurrit.

℞ *Sem. Cydonior.*
Psyllii. ana. drach. vnam semis.
Tragacanthi. drach. vnam.
Ex his lege artis per aquam Rosarum trahatur muccago, cui permisceatur Syrupi violati ex caruleorum foliolorum succo parati aqua

æqua quantitas vel paulò plus, fiat Gelatina cuius portionem ex paruo cochleari ſumptam æger ſæpè ac diu in ore contineat ac eliquet. Hæc mollit, humectat, refrigerat, lenit, aſpera complanat, cutis teneritudinem obducto felici lentore munit ac exulcerata perſanat, quod etiam præſtat Syrupus Granatorũ dulcium linctu perſæpè aſſumptus.

ANGINAM peſtilentem cucurbitulis dorſo ac humeris affixis excipies, & veſicatoria confeſtim brachiorum ſupremæ parti appones, interdum vbi ſumma neceſſitas vrſerit è linguæ vena ſanguinem emitte, ſed cautè ac timidè valdè, quia vires à venâ ſectâ mox corruunt. Gargariſmis dein vtere in principio quidem repellentibus, mox verò aliquantulum diſcutientibus, ex hordeo, Maluâ, Liquiritiâ, Caricis, Auriculis Iudæ, ſeu ſpongiis Sambuci, ac medullâ panis triticei paratis, quibus Theriacæ nonnihil iungere licebit, cum Rob Nucum, Diamoron, & Melle Roſato. Forinſecus Cataplaſma collò circumda quod conſtet ex farina Maluæ, Biſmaluæ, Altheæ, Meliloti, Chamomillæ nec non ex nido hyrundinum ac radicibus Liliorum alborum cum farina Sem. Lini aut Fœnugręci incocto, vnguento de Cynogloſſa, oleo Amygdalino, *Angina.*

Viola-

Violato, Chamæmelino ac de Scorpionibus. Pauci hoc ſymptomate capti euadunt, proindè ſummâ diligentiâ ac attentione opus eſt. Da ſemper lambendum ſyrupum aliquem accommodatum, vtpotè Syrupum de Scabioſa admixto violaceo, aut Granatorum dulcium, vel Adianthino Fernelii, aut de Liquiritia, maximè cum materia morbifica per ſputum reſoluitur, quod ſi verò abſceſſu procurato intus tumor ruptus fuerit, & putridum pus in ventrem defluxerit, Syrupo de Scordio, ſucco Cardui, ac aliis ſubamaris ac putredinem emendantibus lipothymias præcaue, donec occaſio affulgeat, qua ſanies Manna ac Syrupo Roſato, vel de Rhabarbaro leuiter elui queat, alioquin continuò tranſmiſſis prauis halitibus cor fatigat, & ſyncopes accerſit paulò minus morte formidandas.

Cruenta ſputio. Hæmoptoiſis ſeu ſanguinis expuitio, ardorem ſanguinis temperantibus, ac humorum prauitatem remouentibus curanda, non neglectis interim ligaturis, frictionibus, cucurbitulis, ac ſimilibus deriuationis modis. Præſcribatur linctus ex Syr. Myrthino compoſito cum Diacodio, ac porrigatur Bolus Armenus ex aq. Plantaginis, admixto Syrupo Granatorum dulcium, ac ſi malum vehemens fuerit, da parumper de Athanaſia aut Philonio, vel aliquot grana Pilularum de Cynogloſ-

Cynogloſſa cum conſerua Roſarum ac Symphythi.

SED & lethalis perſæpè Pleuritis huic morbo ſeſe adiungit, diro malo maiorem adferens ſæuitiam, cum enim hìc ſanguinis miſſio adhiberi non poſſit, & hæc alioquin præclarum ad Pleuritidem ſit præſidium, fit vt magno curationis bono æger priuetur. Vndè cum in hoc caſu ſanguinis miſſio noxam augere, imò plerumque mortem adferre ſoleat, quis quæſo ſine magna trepidatione & periculi ſubeundi metu hanc celebrare iubeat? Quod ſi verò vnquam, vires, ætas, ac ingens Plethora ſanguinem detrahi permiſerint, antè & poſt venæ ſectionem antidota erunt exhibenda, & cordis vires magnis præſidiis inſigniter fulciendæ. Aliâs verò inunge pectus ac latus dolitans vnguento de Cynogloſſa, & Anodyno cum oleo Scorpionum, ac impone fotum ex lacte, oleo lini, & modico croco ſimul in vtrem concluſis, aut decoctum Maluæ, Chamomillæ, & ſeminis lini, veſicæ indito, ac lateri puncturam ſentienti ſuperimponito, ac ſæpius recalefactionem eius iterato, da interim Syrupos expectorantes, & certis interuallis antidota repete, vt ſudore prauorum humorum qui in Pleuram impetum fecerunt, malignitatem diſiicias. Hoc bonum eſt.

Pleuritis Peſtilens.

℞. Dia-

℞ *Diascordii Fracastorii. drach. vnam.*
Syr. de succo Cardui Bened.
De succo Scabiosæ.
De Papauere erratico. ana. vnciã semis.
Aq. Pimpinellæ.
Taraxaci.
Cardui B. Mariæ. ana. vnciam vnam.
Oculor. Cancri præpar. scrup. semis.
M. f. Potio sudorifica.

Tussis. NON rarò quoque tussis eaque plerumque sicca, ægris molesta esse solet, quæ vnctionibus pectoralibus ex vnguento Resumptiuo, Pectorali, Violato vel Dialtheæ cum oleo Chamæmelino administratis, ac linctu Syrupi Papauerini, Iuiubini, Violati aut de Farfarâ mitescit, cui etiam non parum conferunt Tabulata de Extracto Liquiritiæ, aut Diatragacanthum frigidum ac Diaireos vsitatum, nec non decoctum Iuiubarum & Sebesten cum conseruâ Rosarum, aut decoctum Raparum cum Saccharo candi violato, vel conseruâ Boraginis.

Cordis tremor Syncope ac animi deliquium. CORDIS tremori ac syncopi medetur Alchermes cum Syrupo Acetos. Citri, Florum Tunicæ, ac aquâ Rosarum & Melissæ, similiter & species de Gẽmis, Cordiales temperatæ, Diamargariton vtrumque, Diambra, Lætificans Galeni ac Rhasis, conf. de Hiacyntho,

tho, Diarhodon Abbatis, Margarittæ, Coralli, Lapis Bezoar, Lignum Aloës cum osse de corde Cerui, ac Syrupis cordialibus, vtpotè de Rubo Idæo, Pomis, succo Boraginis, Buglossæ, de Corticibus Citri & cæt. Syrupus de Cinamomo præstans est cum aqua Boraginis aut Acetosæ vel Rosarum potus, itidem & aqua Cinamomi cum succo Citri aut Limonum. Vel da aquam ex Citro distillatam cum aliquot guttulis olei vitrioli ac vnciâ vnâ Syr. violati ex succo, aut vinum album odoriferum admixto succo mali punici aciduli. Pulsibus micam panis tosti ex aceto Rosato macerati ac Caryophyllis conspersi superliga, aut regionem cordis ac pulsuum Balsamo Macis aut Citri leniter perunge, aut oleo Scorpionum immisce aliquot olei Rorismarini distillati guttulas, & iam dicta loca illine. Vel accipe Baccas Iuniperi, Rutam & modicum Macis, contundantur ex aceto, & carpis adalligentur. Emulsio Margarittarum cum aqua Boraginis ac Acetosæ additis Manus Christi perlatis, ac aquâ Cinamomi aromatisata vires titubantes retinet, cui succum Limoniorum aut Citri iungere opportunum fuerit. Syrupus de Melissa Citraria cardiacus planè est, similiter & vinum Hippocraticum ob ἀναθυμίασιν ab aromatibus profectam, nisi vehemens calor eius vsum inhibuerit. Aliâs

Intro sumenda.

buc-

buccella panis hoc ipso madens ægris lipothymiâ exolutis exhiberi vel hoc ipsum guttatim oriri ipsorum instillari poterit, qua ratione etiam iuuare poterit vinum Citrium, Zedoariatum, Enulatum, Caryophyllatum, Iuniperinum, Rorismarinatum & his similia.

Exterius applicanda.

Cordis regioni applicetur sacculus ex Santalis, Corticibus Citri, Ligno Aloës, Rhodio, Radicib. Cyperi, Ireos, Rosis, Camphorâ, Melissâ & eiusmodi, qui vino tepido fragrante, & aquâ Rosarum aspergatur. Vnguentum cordiale comparabis ex vnguento Rosato Mesue, Speciebus cordialibus, Santalis, Camphora, Zedoaria, Hiacyntho præparato, modico Croco & guttula vna atq; altera olei Caryophyllorum. Huius locum supplet oleū Nenupharis, Hyperici ac Scorpionum addito croco & pauxillo Aceti Calendulati ac Camphoræ. Odores etiam spiritus & vitam nonnihil sustentant, ac euanidam cordis vim retinent, quomodo Diogenes Laërtius Democritum multos annos effluentem spiritum medullâ panis albi vino albo optimo madidâ, ac Menthæ puluere conspersâ, stomachoque & naribus appositâ spiritum retinuisse scripsit. Nos Citri cortices ac Rosas ex aceto Rubi Idæi madentes ægrorum naribus obtrudimus, imò etiam aquam Cinamomi cui

Vng. Cordiale.

magna

magna vis ad ſpiritus illicò reficiendos ineſt, non odorata tantum, verum etiam guttatim per fauces leniter demiſſa. Vel. *Odorata.*

℞ *Pulueris Violar. odorati ex præſcripto Auguſtani Diſpenſatorii præparati, drach. duas ſemis.*
Roſarum rubear.
Ligni Rhodii pulueriſati.
Santali Citrini. ana. drach ſemis.
Spec. Diambræ Scrupul. ſemis.
Camphoræ. grana duo.
Miſce & includantur ſerico, f. Nodulus qui intingatur in aqua Roſarum, Lauandulæ, ac Aceto Rubi Idæi, ac naribus ſæpè admoueatur.

PLVRA viribus reficiendis idonea, vtpotè Epithemata, Conſeruas, & Condita cordialia ſuprà in capite de refectionibus perquirere licebit, quæ omnia ſtudioſe peritus Medicus dextro vſu in ægri reparationem accommodabit.

IN ſingultu qui ab acribus cum humoribus tum vaporibus ventriculi tunicas vellicantibus ſuſcitatur, ventriculus oleo Amygdalino, Anethino ac de Abſinthio vel Menthâ perungendus, exhibendusque Bolus Armenus ex aqua Bugloſſæ, Nymphеæ, aut Ro- *Singultus.*

ſatum cum aliqua portione vini ſubodori.

Vomitus Cholera & Cardialgia. VOMITIONI, Cardialgiæ, Singultui ac Choleræ eadem ferè competunt remedia, compeſcuntur autem vt plurimum antidotis inter quæ Theriaca recens primas tenet, in qua Opii vis nondum penitus repreſſa fuerit, quomodo lib. de Theriaca ad Pamph. eâdem, Cholerâ morbo laborantes, quibus iam vox intercepta erat, quaſi miraculo ad vitam reuocatos legimus. Multum in his Medico ritè curationem peragere volenti laboris eſt, hæc enim ſymptomata protinus labefactatis viribus, magno dolore, vi, ac immani ferociâ ægros crudeliter perimunt. In vomitu igitur ac Cholerâ vinum Cydoniorum, ac medulla panis, ſucco Granatorum imbuta, crebrius offeranda, quomodo etiam vinum rubellum ſubauſterum, Berberorum, aut vuæ criſpæ ſucco lymphatum, ſubindè porrigere proderit.

Extrinſecus ventriculo adminiſtrandæ ſunt inunctiones ex oleo Abſinthiaco, Cydonite, Maſtichino, Nardino, de Mentha & ſimilibus, cui etiam emplaſtrum de cruſta panis, aut Diaphœnicum frigidum oleo Myrthino ſubactum applicabitur. Nec tamen negligendi fotus in hunc ferè modum ſeſe habentes.

℞ *Rosarum Rubearum.*
Absinthii. ana.manip.duos.
Menthæ.
Origani.
Anethi.
Balaustior. ana.manip. semis.
Nardi Celticæ pugill. vnum.
Granor. Iuniperi.
Rad. Caryophyllatæ.
Pistolochiæ.
Acori ana.drach. duas.
Cyperi.
Zedoariæ. ana.drach. vnam.

Incisa gro:mo: indantur duobus sacculis qui coquantur in vini, aceti, & aquæ chalybeatæ æquis partibus, & alternatim expressi ventriculo imponantur, cauendo ne vnquam refrigerentur.

Vel madescat ex horum decocto spongia, quâ ventriculus foueatur. Vbi sic bis die per horam fotus adhibiti fuerint, desiccato modestè stomachi loco, inunctiones & Emplastra iam supra commemorata vsurpabuntur. Vel.

℞ *Micæ panis siliginei tostæ. vncias tres.*
Mastiches. drach. vnam.
Nucis moscatæ.
Santali Citrini.

Laudani.
Coriandri præpar.
Calami Arom. ana. ſcrupul. vnum.
Macis. ſcrupul. ſemis.

Contundatur ſimul fortiter in mortario, affundendo olei Cydoniorum, vini rubelli, ac aceti Roſati ana. partes æquales. Redigantur in pulticulam quæ calefacta extendatur ſuper pannum & ventriculo ſuperponatur.

NOTANDVM tamen vomitum hoc in morbo non protinus à principio ſiſtendum eſſe, ne praui ſucci, quorum expulſionem natura ſic molitur, cohibiti, in maiorem malitiam ac putredinem abeant, & alios grauiores affectus procreent ac δευτεροπαθείᾳ quadam principes corporis partes offendant.

INTRA corpus ſæpius in die duo vel tria cochlearia pro vice ſequentis Syrupi exhibe.

℞ *Succi Cydonior. abſque ſacch. inſpiſſati.*
Syr. Granat. acidorum.
De Agreſta.
Myrthini compoſ. ana. vnciam vnam ſemis.
De Roſis ſiccis. drach. ſex.
Ol. Vitrioli pauxillum.
Miſce.

His

His quandoque prout neceſſitas exegeit in pituitoſioribus præſertim Syrupum de Mentha, Abſinthio, Nuce muſcata, aut alium conſimilem calidiorem ventriculo gratum, aut Myuam Cydoniorum aromaticam adiungito. Interdum buccellam panis vino Cydoniorum, Granatorũ, vel alio quopiam conueniente liquore imbutam Tragemate aliquo ventriculum ac cor recreante conſperſam ægro porrigito, qualis ſic pręparari poterit.

℞ *Spec. Roſatæ Nouellæ.*
Diarhod. Abb.
Arom. Roſ. ãna. ſcrup. duos
De Gemmis frig.
Cordial. temper. ãna. drach. ſemis.
Corall. rub. præpar.
Margaritt. præpar. ãna, ſcrup. ſemis.
Sacch. Roſati tabulati q. ſ. m. f.
Tragea.

Mirari iam ſatis non poſſum quo modo, quaue ratione eo vel temeritatis vel ſtultitiæ nonnulli deuenerint, vt vomitum in peſte quem nos alios celeberrimos Practicos ſecuti, tantis præſidiis ſedare conamur, ac multâ ſollicitudine quietare ſatagimus, porritent prouocentque. Verum nos hæc nocua

esse, admonuisse sufficiat, cum bubulcorum ingenia nullis, etiam doctissimis ac firmissimis rationibus acquiescant, quibuscum temporis nobilitatem frustra perdendam non esse, meritò censuimus.

Cibi fastidium ac Nausea. EVENIT etiam vt natura aliquando alimento contra veneni vim sit muniendi ac sustentanda. Cum autem igens persæpè cibi fastidium Peste correptos teneat, studendum vt omnibus modis appetitus instauretur, cibique tollatur fastidium, quo nomine conueniunt maximoperè intinctus & embammata varimodè concinnata, qualia apud ganeæ proceres & de ventre semper solicitos oblonarios perquirenda.

Interim tamen commendatur summoperè Cerasorum acidorum, Agrestæ ac vuarum Crespini, nec non Ribium ac Punicorum malorum acidodulcium succus, similiter & Cappares aceto præmaceratæ, & Arantii Limonis aut Citrii pomi pulpa mensis adhibita.

ÆGER nihilominus precibus, persuasionibus, minis, ac mortis nisi vorare velit comminatione, ad pastum compellendus ac cogendus.

NOLIM tamen ventrē copiosissimo cibo vndè cruditas & corporis aggrauatio metui queat adimpleri, sed pauxillo tantum, eo-

que

que medicamentoso & planè refectorio, qui nouas statim vires in deperditarum locum reponat, & naturam vsque ad pugnæ finem cōmodè sustentet. Egregiè verò languidū appetitū exuscitāt Salsę vocatæ, nobis intinctus dicti, ex Acetosæ, Petroselini, Pimpinellæ ac Saluię aut Melissæ foliis recentibus tusis cum aceto præparati, quibus nonnunquā parumper succi Cœparum aut Alliorū, ac tantillum Piperis commiscetur. Quod si verò æger cibum omninò auersetur & nulla vi ad eum capiendum adigi possit aliâ viâ remedium nutritionis quærendum. Tunc itaque sæpius bibendam offerre conuenit aquam Caponis, Syrupo de succo Citri, Limoniorum vel Granatorum, aut alio quopiam subacido succo remixtam, aut conseruas aliquas cordiales corpus identidem nutrientes, ac alimenti vicem gerentes. Vel,

℞ *Amygdal dul excort.*
Pinearum mund. itar.
Pistachior. præpar. āna. vnciam semis.
Pulpamenti Perdicis, Turdi, Gallopauonis vel Attagenis, vncias tres vel quatuor.
Conseruæ Rosarum Damascenar. vnciam vnam semis.
Cort. & Carnium Citri condit āna. drach. sex.

Spec. Cordial. temper.
De Gemmis frig.
Diarhod. Abb. ana. ſcrupul. duos.
Sacch. in ſ. q. aq. Roſarum diſſoluti q. ſ f. morſelli, vel placentæ ad normam panis Marſici, de quibus detur loco refectionis diu noctuq; portio aliqua ad vires reficiendas ac redintegrandas, quæ ſi æſtus non obſtiterit, modico oleo Cinamomi aromatiſari, & ſpiritibus regenerandis accommodari poterunt.

Sitis. SITIM ingentem qua tanquam Tantaleo malo ægri in peſte non raro affliguntur, compeſcit decoctũ hordei cum paſſulis, admixto vino Granatorum aut ſucco Ribes ac Berberorum. Quin etiam Iulapia ex aquis Acetoſæ, Cichorii, Lactucæ, Endiuiæ, Sempervivi, &c. cum Syrupis de Acore Citri, Limonum, Agreſtæ, Violato, de Fragis, aut Oxyſaccharum cum iuſta portione olei vitrioli rectificati.

NONNVLLI tanto aquæ deſiderio tenentur, vt mori, quàm appetitui ac bibendi deſiderio non ſatisfacere malint. Moriuntur autem eorum plurimi, maximè ſi gelidâ ſitim expleuerint, hæc enim nimis comprimit & coarctat, ac venenum intrò impingit, nec non quandoq; ſpiritus ſubtili ſubſtantiâ prædi-

ditos

ditos extinguit. Fallitur etiam ſitis nonnihil taciturnitate ac oris compeſcentiâ nec non frigidi aëris inſpiratione. Varia ad ſitim potus genera cap. de Diæta DEO dante tradituri ſumus, ex quibus quidquid naturæ ægri conueniens futurum judicaueris, eligere poteris. Prodeſt multum Tamarindorum pulpam ore continere, aut Ceraſa acida ſole toſta, linguâ hinc indè volutare, vel Ribes aut Berberorum Vuulas ſaccharo conditas, ac morſellos ex earundem ſucco paratos maſticare, imò ſacchari Candi Violacei oleo Vitrioli admixtâ modicâ aquâ Roſaceâ perunĉti, rurſusque exiccati portiunculam ore eliquare, ac ſubindè hordeati aut auenati nonnihil quod acetum habeat, aut gelatinam aliquam frigidiuſculam ac ſubacidam aſſumere.

ICTERVS peſtilens decocto Scordii, Marrhubii, Abſinthii & Cichorii pellitur, addito Syrupo Fumariæ, ac oleo Vitrioli, à cuius medicaminis aſſumptione æger ſudet. Commodè quoque datur decoctum Fragrariæ ac Chelidoniæ addito aceto Theriacali ac Syrupo Bizantino. Debellatur autẽ quam maximè ſudorificis ac præſertim antidotis, vt qui ſimili ferè de cauſa, atque in ijs qui ab animantibus venenatis demorſi ſunt, ſuam duxerit originem. *Icterus.*

VENTRIS intumeſcentia Hydropi haud *Ventris intumeſcentia.*

 abſimili

absimilis, à vaporibus venenosis sub abdomine collectis ac congregatis, impugnatur Mithridatio, additis olei Fœniculi, Anisi vel Carui guttulis duabus. Salutariter hîc bibitur decoctum Seminis Carui cum Petroselino & Enulâ aut si febris desierit, vinum Zedoariatum, Iuniperinum, Enulatum, Citrium ac Absinthiacum. Venter tumefactus vng. Martiato ac oleo Scorpionum & Chamæmelino perungendus, ac diuretica ex Valerianæ ac Pimpinelliæ aquis aut decoctis cum Syrupo de quinque radicibus & modico oleo Sulphuris administranda.

Colica. In Colicâ pestilente Corticum Arantiorum & Zedoariæ puluerem ex iure pulli bis die scrupulorum duorum pondere propina, aut potandum offer oleum Amygdalarum dulcium recens, cum Syrupo de succo Scordii aut Chamomillæ. Iuuat hîc etiam puluis Angelicæ, & Extractum Panacis Heraclei, & præter Theriacam ac Mithridatiũ, olea Aromatica maximè verò quæ contra venena pollent. Interim oleo aliquo acopo aut anodyno, quale est Liliaceum, Anethinum, Amygdalinum, &c. venter ac abdomen subtûs dolens perfundendum.

Iliaca. Iliacam passionem adimit Theriaca recens aut Mithridatium non valdè vetus, vel Philonio recentatum, ac oleum Anethinum in quo

in quo ſemen Fœniculi coctum fuerit, ventri fotu adhibitum, vel cum conueniente decocto per Clyſterem infuſum.

VERMES pellunt Pilulæ peſtilentiales, aut Aloës Roſata cum Extracto Rhabarbari ac Agarici, nec non Syrupus de ſucco Scordii, cum Syr. Acetoſitatis Citri vel Limonum. Inſuper etiam Syrupus de Cichorio cum Rhabarbaro, de floribus Hyperici, Hedera terreſtri, Abſinthio, & Syr. de Portulacâ ſeminibus ac corticibus Citri additis aut Syr. de Pomis cum Croco datus. Vel. *Vermes.*

℞ *Sem. Sanctonici drach tres.*
Citri.
Cornu Cerui vſti, & præparati.
Corallinæ.
Fol. Dictamni Cretici ana. drach. vnam.
Rad. Fraxinellæ.
Zedoariæ. ana. ſcrup. duos.
Miſce f. Puluis.

PROPINENTVR huius pulueris ſcrupuli duo vel drachma vna cum Syrupo Granatorum ac Cardui, vel cum iam modo commemoratorum aliquo, ex aquâ florum Siliginis, Graminis, aut Betulæ, quæ ex vulnere arboris primo vere profluxerit. Venter inungatur oleo Amygdalarum amararum ac de

Abſin-

Absinthio, aut Cepa vel porrum excauatum Aloë & modicâ Theriacâ repletum ac stuppâ obuolutum subq́; cineribus coctum vmbilico applicetur. Pauperibus porrigatur decoctum Tanaceti, aut acetum in quo Allium infusum fuerit. Infantibus detur conserua florum Persicorum & decoctum Sebesten cum Syr. de Limonibus aut alio consimili.

Quod si purgandum fuerit, eligatur præ cæteris Hiera picra cum modico Diaturbith cum Rhabarbaro ac Syrupus Diasereos.

Lienteria. In Lienteria, quando ventriculus fœdis putridorum humorum fuliginibus destructus nullam coctionem edit, odorata exhibe, vtpotè Syrupũ de Mentha maiorẽ de Absinthio, Myuã Cydoniorũm aromaticã, Species Diarhodon Abbatis, Aromaticum Rosatum, Caryophyllatum, Rosatam Nouellam, ac Diacinamomu, cum ijs quæ modicè refrigerando & astringendo ventriculo grata existunt, semper ea quæ putredinem emendant adiungendo.

Dysenteria ac Diarrhæa. Dysenteriam ac Diarrhæam cohibet Syr. Cydoniorum Granatorum, Myrthinus, de Rubo Idæo, Rob Ribes ac Berberorum. Sanguinis ardorem, bilis efferuescentiam, ac humorum concitationem commodis præsidiis tempera, mitifica succos ac acrimoniam eorum obtunde. Detur Bolus Armenus, Terra si-

ra ſigillata aut Puluis Tormentillæ cum Croco Martis ritè præparato, vel Trochiſci de Terra ſigill. Carabe, ac Spodio, cum conſerua Roſarum aut Rob Prunorum ſylueſtrium vel de Cornis, aut Cynosbathi. Cornu ceruinum, Biſtorta, & ſemen Plantaginis quoque auxiliantur, ac Scordij ſuccus vel puluis à Fallopio celebratus, & Amygdalogala, nec non cremor hordei & pultes ex oryza. Vinum Cydoniorum Granatorumque commodiſſimè hic porrigitur, aut ſi æſtus non prohibeat, buccella panis ex vino rubro auſtero, aliâs verò detur decoctum hordei cum cornu Ceruino paratum auro vel chalybe vſtulatum. Per ſedem iniiciantur clyſteres in principio abſtergentes ex decocto hordei, aut iure capitis vitulini vel Agnini, vel brodio carnis non ſalito, addito ſaccharo, oleo Roſato, & ouorum vitellis, poſtea cum ſiſtendum eſſe putaueris, parentur Enemata ex lacte in quo ſilices candentes extincti fuerint addito ſeuo Hircino vel Ceruino, ſaccharo, ac oleo Myrthino, quibus album Græcum nonnunquam permiſcetur. His præſidiis etiam fluxus peſtilentiales alii ac colliquantes dicti, compeſcuntur, tu modo attende num criticè vel ſymptomaticè hæc eueniant, quod ex viribus omnium commodiſſimè cognoſces, ſymptomatica confeſtim cohibe, critica ne

ca ne

ca ne ſymptomatica fiant, magnâ obſeruatione ac ſtudio pro virium tolerantia ac conditione intantum refræna, vt cum ſymptomatica fieri voluerint, ijs imperare queas.

Tumor pedum.

PEDVM tumori medetur fotus ex Ebulo, Verbaſco, Chamomillâ, floribus Sambuci, Agrimoniâ & ſimilibus, ſunt autem hi poſt fotum ſale toſto ac ſupra Porphyrium tenuiſſimè leuigato, admixto oleo Roſato & Verbaſcino leuiter ac calidè perfricandi.

Dolor ac ardor dorſi.

DOLORI dorſi, ac ſpinalis medullæ ardori conuenit vnguentum Roſatum Meſuei ac infrigidans Galeni cum modicâ Camphorâ, ab his tamen abſtinendum vbi Peſtigia, maculæ pulicares ac Exanthemata ibidem effloruerint. Aliàs eidem quoque affectui prodeſt oleum Amygdalinum, Populneum, Roſatum ac Nenupharinum, verum ſi (vt iam dictum eſt) Ecthymata & papulæ apparuerint, ab his abſtinendum.

Sudor immoderatus.

SVDOR immodicus qui ſymptomaticè nonnunquam, non ſine magna virium iacturâ profluit, cohibetur oleo Cydonite, Myrthino, Roſato Omphacino, vnguento Santalino corpori inuncto, & ſimilibus, cauendum tamen ne calor ab his repentè introrſum pulſus grauiora damna adferat, igitur his cautè ſuo tamen loco vtendum ſuadeo.

Eriſypelas.

Ad Eriſypelata præclarè facit vnguentum

tum album Camphoratum ac de Liquiritiâ nostræ inuentionis lege paratum, ex butyro cui recens liquiritia succulenta sæpius incocta fuerit, addito postea oui albumine Cerussâ ac Camphorá. Vel accipe Thus, Myrrham, & parum Camphoræ, hæc in aqua spermatis Ranarum & modico vino vel aceto coquas, ex hoc decocto madescat pannus qui loco Erisypelate inflammato superponatur, donec inflammatio maiore sui parte decesserit. Quod si Erisypelas exulceratum fuerit, vnguento de Tutia & Diapompholygos dicto, ac Emplastro de lapide Calaminari negotium peragendum.

Testiculorum intumescentia. Scrotvm, Colem, ac testiculos tumidos calido lacte cui copiosum saccharum iniectum sit, sæpius foue, post fotũ verò oleum Liliorum alborum, de floribus Verbasci, Sambucinum, Rosatum, ac Chamæmelinum tepidè applica.

Vrina suppressio. Si vrina supprimitur Parietariam Maluã, Rapariam, Melilotum & Nasturtium aquaticum ex aqua & modico vino coquas, his postea infimum ventrem fouebis, quo peracto pecten oleo florum Periclymeni ac de Scorpionibus calidè perunges, aut cepas ex oleo Liliorum in pulticulæ formam ac teneritudinem discoctas pectini superimponito.

Hæc ferè symptomata Peste detentos

fatigare consueuerunt, quæ tanta nonnunquam vi corpora ægrorum & premunt, & deprimunt, vt Medici etiam exercitatissimi rite contra morbum ipsum (cuius hæc asseclæ sunt) pugnare volentis studium, conatus, ac operationes intercipiant, cumque sua immanitate totam non rarò curationem ad se rapiant, studendum semper vt affectus principalis à veneni ac putredinis pernicie dependens, interim non negligatur, atque vt vnâ cum symptomate morbus, & cum morbo symptoma profligetur sum̃operè conandũ. DEI omnipotentis gratia te ad hæc probè instruat, cui crebet vsus ac diligens animaduersio, horũ maiorem exercitatione cognitionem est præbitura.

CAPVT XVIII.

De Chyrurgicis Pestis auxiliis & pestiferi Bubonis ac Anthracis curatione.

VNIVERSA hîc ferè curationis dexteritas in cita Bubonis maturatione consistit. Est autem Bubo tumor adenum seu glandularum in inguinibus vtrobique

Bubo.

que ſitarum, quas natura ſolers ad venæ magnæ ac arteriæ in crura deſcendentis ſecuritatem eò collocauit, vt earum diuiſionem ſtabilirent, & ab externis iniuriis nonnihil tutarentur. Bubonis iam dicti nomē ſibi quoque vendicarunt tumores ij, qui ſub axillis & collo emergunt in peſtilente ſtatu maximè formidandi, vtpotè è quorum præſentia febris quælibet ſuborta iudicio Hippocratis mala prorſus ſit præter diariam. Cum autem tumores ijs in locis ſæpius extra Peſtem deprehendere liceat, nos hîc ſolummodo de peſtilenti Bubone agemus, ſigna quædam quibus is à non peſtilente diſcerni queat, propoſituri.

CAVSA porrò cur hę ſolummodo glandulæ ac potiſſimum eæ, quæ in inguine ad femoris principium ſitæ ſunt, peſtilentis morbi ſuſceptacula ſint ac culcitræ quaſi quædam in quas hic ſeſe reponat, hæc ferè eſt, quod propter natiuam imbecillitatem præ cæteris partibus omnium maximè fluxionibus ſint opportunæ, quodq́ue pars ea in qua ſitæ ſunt, multis ac vehementibus commotionibus ſępius delaſſetur, his decliuis accedit ſitus, & loci in quo ſtabulantur perennis humiditas tumoribus anſam præbens facillimè, & cum natura ea ad loca tanquam ad emiſſaria ſuas ſordes detrudere ſoleat, fit vt humorum

quorumlibet procubitu sæpius molesten-tur.

Bubones Pestilentes & non Pestilentes.

Hæ igitur glandulæ malignâ ac venenatâ putredine subtumefactæ, magno persæpè dolore locum cui insident defatigant, etenim quibus Bubones non pestilentes exoriuntur (quod in puerulis ac adolescentibus dum crescendo incrementum sumunt, sępius euenit, quos vulgato nomine Wachßdrüsen appellare consueuimus) doloris sunt expertes, cum pestiferi è contra ad tactum vehementer dolitent, eò quod natura diram per eos materiam euomere tentet. Atque hi quidem magno persæpè ægri periculo in profundo hærent diutius, vt tactu quandoque vix deprehendi queant, qui quidem ominosi sunt. Hos autem nisi Critici sint ante febrem præstat emergere quàm huic superuenire, etenim si antequam febris inuadat hi prodeant, robustæ naturæ seriò contra luem decertantis studium indicant, vndè hos febrem anteuertere semper est optabilius. Perniciosi verò hi sunt, qui aut in profundo diutius hærent, aut lentè increscunt, vel qui incrementum iam habentes subitò disparent ac intrò recedunt, vel qui ad suppurationem deducti sine euidenti causa subitò exarescunt & resiccantur. Permulti autem Bubones non suppurantur, sed veneno per antidota paulatim depul-

Febrē Buboni superuenire optabilius est quam Bubonem febri.

Aliqui Bubones non suppurantur.

depulso, resolutâ eorum materiâ sensim euanescunt, ac discusso tumore consumuntur.

In morbi principio mobiles hi sunt, figurâ tereti vel oblongâ, seu ouatâ, fusum filo obuolutum forma tamdiu referentes, donec temporis progressu subditis partibus tenacius adhærescant & rotundam in molem abeant, aut in acutum fastigientur, à quibus quandoque Zona rubens, fusca, virescens, obscura aut diuersi coloris in vicinam partem excurrit, ipsi verò Bubones nunc cuti concolores, nunc pallidi aut rubicundi, modo etiam nigri ac liuidi conspiciuntur, qui ferè enecant, prout & si circulus iridis instar tumorem ambit. *Zona.*

ANTHRAX seu CARBVNCVLVS. Vlcus est crustuosum à sanguine in atram bilem conuerso & inferuidato excitatum, originem habens à pustulâ, quæ ambustis non valdè dissimilis fuerit. Hic ferè cum pruritu primitùs erumpit, quem sequitur vna vel plures pustulæ, ab initio quidem paruæ, ac milii seminis magnitudinem aliquando vix excedentes, hæ autem dein accrescunt, ac nigricante, cæruleo, aut ruffo colore splendescunt, quibus disruptis non aliter quam candentis ferri inustione læsus locus incrustatur, amplas sub se radices exerens, vndè circumposita caro, maximo calore ac incendio *Anthrax & Carbunculus.*

Varia Anthracis cōditiones. latè circumquaque peruritur, corpusque ingenti febre exæstuat. Nec verò hi solis emunctoriis contenti prodeunt, sed in quacunque corporis parte etiam extremâ ac minimâ erumpunt, quam incendio doloreque diuexant. Interdum non foras prodeunt, sed in internis partibus enascuntur magno necis inferendæ argumento, etenim cor occupantes confestim interficiunt, qui verò corpori exteriùs inhærent, si aperti spumæ quid simile effundant, aut incisa caro liuescat calamitosi sunt. Carbunculus si carnosam partem obsederit, facilius persanatur, quàm si neruosæ aut membranosæ parti incubuerit. Nigri, lucidi & virides pessimi sunt, & qui partibus principibus vicini, aut parui, minutuli ac duri existunt.

Bubonis curatio. IGITVR Bubonis pestilentis curationem quod attinet, primum sibi locum vendicant ea remedia, quæ veneni perniciem eò congregent, ac concentratam vel extrahant vel procurato pure diffluere faciant. Multi Theriacam cum cepis coctam, ac axungiâ suillâ subactam; buboni superimponunt, venenum sic euocatum iri sperantes, quorum quidem conatum ac morem cum iam crebro vsu inualuerit, minimè damnauerim vtpotè qui sæpius visus sit profuisse, attamen maiorem ego spem in suppuratoriis medicamentis lo-

tis locauero, vtpotè quibus bubo omnium citiſſimè molleſcat, & vel ſua ſponte diſruptus virus euomat, vel genito pure ſcalpello aut cauſtico aperiri queat, ex quo vnà cum ſanie pernicies emanet. Theriaca autem puris generationem inhibet, aſt ob calorem nonnihil attrahit, vndè prodeſſe poteſt, ſuum cuique de hoc liberum ſit iudicium.

PROBANTVR hìc fotus calidi, euaporatione venenum diſcutientes, & reſiduam interim materiam ad ſuppurationem diſponẽtes, parantur autem hi ex decocto Maluæ, Biſmaluæ, Scabioſæ, flor. Sambuci, Chamomillæ, Meliloti, Anethi, Rutæ, Sem. Fænugræci aut Lini, ac radicibus Altheæ cum modico Croco, verum diligenti hic Clinico opus eſt, qui fotum æquo ſemper calore cuſtodiat, etenim refrigeratus ſi foret, materiam intrò repelleret, & in maximum periculum ægrum adigeret. Alioquin etiam materia in profundo latitans extrorſum ad cutim prolicienda, vndè aliqui gallinas, aut pullos gallinaceos viuos diſſectos & adhuc calentes, vel circa anum deplumatos buboni adhibent, aut Bufones torrefactos aut Oſtrias viuas ac ranas tumori ſuperimponunt, vt venenum exugant, ac ad ſe rapiant. *Fotus.*

Nonnulli cucurbitam incipienti buboni admouent, alii veſicatoriis vtuntur, & ſcarri-

ficationibus, aut palmæ ferè latitudine ſubter bubonis ſitum cutem perforant, ac immiſſa Hellebori radice virus euocant. Verum horum complura dolores, febres ac morbi ſymptomata exaſperant, ac exindè vires exoluunt.

Cataplaſmata.

Nos commodiſſimè vſi ſumus Emplaſtro, Diachylo ſimplici, ſupra hoc nihilominus impoſito Cataplaſmate, quale ſic ferè concinnari poterit.

℞ *Radicum Althea.*
Lilior. alb.
Farinæ ſeminis Lini.
Fœnugræci.
Maluæ.
Biſmaluæ. ana. vnciam ſemis.
Flor. Chamomillæ.
Meliloti. ana. drach. tres.
Anethi. drach. duas.
Vnguenti de Althea.
Olei Scorpionum.
Lilior. albor.
De Chamomilla. ana. vnciã vnam.
Croci. ſcrupulum vnum.
Lactis vaccini aut decocti Maluæ ac Chamomillæ quantum ſufficit. Coquantur ad formam Cataplaſmatis, cuius portio calefacta ſupra pannum extenſa buboni iam

Empla-

Emplastro Diachylo contecto superponatur.

Vel accipe medullam panis triticei recentis, hanc in decocto Maluæ ac Chamomillæ coque vt in pulticulam abeat, adde Crocum, Oleum Scorpionum, Lilior, alborum, vnguentum Anodynum vel de Althea ac farinam seminis Lini aut Fœnugræci vel hordeaceam, hanc eo quo par est calore, tumori applica, ac ternis horis, eius impositionem renoua ac reitera donec bubo mollescat. *Pulticula.*

Præstat hic omnium primò attrahentibus & venenum euocantibus vti, ac vbi bubo increuerit suppurantia iam dicta Cataplasmata adhibere. Primis igitur diebus pulticulas admoue ex fermento, sale, vitello oui, melle, & cepis, ad teneritudinem assis, cum oleo Liliorum vel de Scorpionibus, valentius hæc autem attrahunt si eis semen sinapis, stercus columbinum, Theriaca ac Mithridatium, vel succus allii adiungitur. Prosunt etiam Emplastra ex Caricarum pulpâ cum cepis assis Theriaca croco & oleo Scorpionum. Videat autem semper Medicus aut Chyrurgus num bubonis materia calida sit valdè, an verò crassa magis ac lenta, in hac enim fortioribus actioribusque, in illis mitioribus *Suppurantia.*

 tioribus

tioribus remediis insistendum ne dolores induplicentur, & magna inflammatio accersatur à qua Sphacelismus sit metuendus, & vbi bubo in iustam molem adoleuerit confestim suppurantibus quod reliquum est vsque ad maturationem peragendum, quibus enim Bubones citò suppurantur, ferè sanescunt, cum primum enim hi vel sponte vel arte disrupti fuerint, venenũ effluit, & residuum in venis ac corpore adhuc hærens, eò, tanquam ad sentinam promptè ac magno naturæ commodo relegatur. *Validè pus mouentia.* Egregiè porro suppurationem tot votis expetitam promouet Emplastrum Diachylon simplex & compositum, quod de muccaginibus inscribitur, ac in contumaciori malo magnũ illud Mesuei, ac cum gummis Vigonis, nec non Basilicum vtrumque, & cataplasmata ex farinis emollientibus iam supra commemoratis, qua ratione etiam commendatur pulticula illa ex micâ panis triticei in decocto Chamomillæ eliquatâ, cum croco, vnguento de Althea, oleo Liliorum ac Scorpionum.

Bubonis apertio. IGITVR vbi Bubo maturuerit quod ex mollitie cognosces erit hic sagittâ vel scalpello rumpendus vt contentum in eo pus commodè euacuetur. Cum autem delicatiores ferrum tantoperè abhoreant, blandè negotium hoc lapide septico quem vulgus corrosiuum

rosiuum appellat perficere licebit dummodo is ritè præparatus existat. Eum itaque pisi minoris magnitudine Bubonis apici, vbi is acuminatus omnium maximè mollescit admouere conuenit, qui vbi carnem paucarum horarum spatio tabefecerit, remouendus, & mortificatus locus lanceola variè discindendus (etenim pars ea sensus iam omnis est expers) escharam seu potius gangrænam vnguento ex Axungiâ suillâ & Butyro parato eliquando, vt hæc quantocius mollescat ac in tabum diffluat, atque vbi sic vel alia ratione eum penetraueris & ad puris antrum deueneris, turundam immittito quæ suppuratorio vnguento sit illita. Comparatur autem id ex Butyro, Terebinthinâ, & ouorum vitellis, huic Diachylon aut Basilicum emplastrum nihilominus superda, vt materia nondum suppurata penitus concocta maturescat. Caueбis autem ne Bubones antequam perfectum pus genitum sit ferro incidas, etenim exacerbantur, inflammantur, & indurescunt, vndè nec cauterium actuale probo, vtpotè quod dolores faciat insolentes, ac partem nimium inflammet quæ inflammatio puris generationem retardat. Quod si vero tantoperè citam Bubonis apertionem expetiueris Lapide Septico id dextrè age, sic absque ferè dolore pus euocabis.

Vnguentũ suppuratorium.

Nō omnes Bubones pus edunt.

PERMVLTI autem Bubones non ſuppurantur, ſed diſcuſsâ per ſudores ac per inſenſilem tranſpiratum reſolutâ venenoſitate, ſubduri partibus quas primò occuparunt inhæreſcunt, relictâ nimirum in adenibus viſcoſâ craſsâ ac tenaci materiâ. Hos igitur fotibus ac aliis quibuſdam modis reſoluere ac diſſipare expedit, vndè celebria illa malactica huic loco apprimè conueniunt quale eſt Ceratum Oeſypi à Philagrio ac Meſueo deſcriptum, nec non Emplaſtrum de Rhabarbaro ac Meliloto, nos etiam Oxycroceo felici ſucceſſu in his vſi ſumus, poteris ceratis his ac emplaſtris Ammoniacum aut Tacamahacam quandoque adiungere, quibus magna emolliendi vis ineſt.

Vlcus ſinuoſum.

QVOD ſi vero Bubo diſruptus vel apertus, cauernam ac ſinum fecerit, & immundam putredinem tanquam foco contentam intrò retinuerit vndè fiſtula vel vlcus cacoëthe aut phagedænicum metuendum ſit, mundificantibus, vtpotè vnguento Fuſco, Apoſtolico, ac Ægyptiaco vtendum, aut decoctum aliquod abſtergens ex Carduo benedicto, Scordio Chelidoniâ radicibus Tormentillæ & ſimilibus cum vino paratum per Syringam infundendum. Vel:

Mundificantia.

℞ *Mellis optimi. vncias nouem.*

Aleopa-

Aloepatici. vnciam ſemis.
Salis communis drach. duas.
Succi Chelidoniæ. vncias tres.
Commiſceantur.

DISSOLVATVR huius mixturæ portio aliqua in vino, aut decocto Hederæ terreſtris, & vlceri ſinuoſo immittatur, cui ſi opus fuerit nonnihil Æruginis admiſcere poteris. Interim linamentis ac turundis vulnus amplifica quò liberior puri pateat exitus. Alioquin etiam vnguentum de ſuccis Vlyſſis Aldroandi aut Arantii egregie mali moris vlcera & mundificat & ad conſolidationem perducit. *Vng. de ſuccis.*

℞ *Olei Roſati completi. libram ſemis.*
Omphacini vncias tres.
Succi Plantaginis.
Solatri hortenſis.
Centaurii minoris.
Lapathii acuti. ana vnciam vnã ſemis
Bulliat ad liquorũ conſumptionẽ. Deindè adde.
Ceræ albæ quantum ſatis.
Lithargyrii drach. vnam ſemis.
Plumbi vſti drach tres.
Pompholygis drach. duas.
Hordei vſti pug. vnum ſemis.
Boli Armeni veri.

Campho-

Camphoræ.ana.drach.vnam.
His ſimul permixtis tandem adiicito.
Vng. Populei.vnciam vnam.
Infrigid. Gal.vnciam ſemis.
Miſce.

POTERIS autem in ſucci ſolani locum, Hederæ terreſtris, Symphythi, aut alterius alicuius plantæ ſuccum ſubſtituere, ac pro vnguento Populeo ſi magis mundificare volueris, nonnihil vnguenti Apoſtolici adiicere.

ATQVE hæc quidem omnia vlceribus fœdis ſiue ea à Bubone ſiue ab Anthrace prouenerint conueniunt, vtpotè quibus tetra ſanies eluitur, & vlcus ad munditiem perductum ſaneſcit.

Anthracis curatio. ANTHRACES citò diſrumpe ac tardè conſolida, rumpuntur autem facilè impoſitis pinguibus emplaſtris leniter attrahentibus, vtpotè Baſilico, ac ſimilibus, imò etiam nouaculis ac forficibus vbi in altum ſeſe leuauerint tutò aperiuntur vel aliter diſſecantur aut pertunduntur. Præceteris autẽ Emplaſtrum è fuligine magnoperè commendatur. quod ſic habet.

Emplaſtrũ à fuligine. ℞ *Fuliginis Camini.drach.decem.*
Fermenti.
Terebinthinæ.

Butyri

Butyri.ana.vnciam vnam.
Saponis Sarracenici.vnciam vnam semis.
Mellis Rosati.vncias sex.
Salis communis.drach.quatuor.
Vitellor.ouor.numero duo
Theriacæ Andromachi.
Mithridati.ana.drach.duas.
Incorporentur in Pila & fiat Emplastrum.

VBI ruptus fuerit Anthrax mitissimè tractari debet igitur solum vnguentum suppuratorium quod supra ex Butyro Terebinthinâ ac ouorum vitellis conflari tradidimus in eius foueam demittendum, ac emplastro Basilico vlcuscontegendum, partes vero adiacentes vnguento de Cynoglossa, Populeo, albo camphorato, vel vng. Diacaphura contra inflammationem tutandæ ac muniendæ, quomodo vnguentum nostrum de Liquiritia exulcerationes prurientes ac Erisypelata ac alias inflammationes Anthraci affines egregiè compescit. Eductâ porro escharâ vlcus probè (vt de Bubone dictum est) mundificandum ac consolidandum.

CA-

CAPVT. XIX.

De salubri victus ratione circa ægros Peste correptos instituenda.

PROBAM victus rationem dextræ ac felicis curationis basin existere cuncti norunt, hanc enim medicamentis iis quæ vel exhibentur, vel adhibentur, manum quasi porrigere conuenit. Cumprimis autem studendum, vt æger mundo lucidoque loco decumbat qui salubribus ventis sit peruius ac subindè blandissimarum aurarum flatibus concuti ac repurgari queat, in quem etiam (si locus id tulerit) Eurus, Boreas, ac Etesię intromitti possint, etenim cum aër qui continuo inspiratur, spirituum quoddam sit alimentum, ideo hunc ipsum mundissimum ac ab omni labe ac fœtore alienum eligere decet, sitque is in actiuis qualitatibus temperatus, ne vel nimio calore vires exoluat, vel frigore poros constringens, veneni per diaphoresin, insensilem transpiratum, ac sudoris prouocatione dissipandi propulsionem impediat, magis tamen hic ad caliditatem quam ad frigus declinet, siccus autem semper existat.

Quod

Quod si hic loci aut temporis indispositione talis non fuerit, artificiose suffumigiis ac aliis eiusmodi modis, ad eam quã conuenit temperaturam reducatur. Cum autem ægri venenatum semper expirent halitum, erit locus is vbi Peste correptus aliquis decumbit, sæpius de die, succenso in hoc igne repurgandus, vt miasmata & inquinamenta contagiosa absumantur. Præstat autem hunc ex Lauri, Iuniperi, Rorismarini, Lauandulæ, aut consimilium fruticum frondibus aut è Santalorum Ligni Aloë, aut Rhodii ligni ramentis suscitare, sic enim odoratior & cordi longè gratior est euasurus. Alioquin acetum & aqua Rosacea addità Camphorâ, spongiâ excipiuntur, quam æger antè nares contineat ac sæpius olfaciat, vel linteamina aceto Camphorato madida parietibus extenduntur, ac Cypreæ auiculæ accensæ iucundum de se odorem fundentes hinc inde in cubiculi angulis collocantur. Æstate ac squalido cœli statu Rosarum violarum ac Nympheæ flores per cubicula sparguntur. Vel: *Aëris rectificatio.*

℞ *Pul. violarum odorati. vnciam semis.* *Vapor odoratus.*
Trochis. de BenZoi drach. vnam.
Camphoræ grana duo.

Indantur vasculo æneo ac affusâ aquâ Rosarum supra prunas in cubili leniter bulliant vt

indè

indè exurgens vapor iucundi odoris blandimento cor reficiat.

PAVPERES Iuniperi radices concisas aut eiusdem baccas prunis pro suffumigio iniiciant. Nonnulli haud absque ratione succenso Sulphure aërem exiccando & putredinem emendando repurgant. Vel:

℞ *Benzoini seu Assæ odoratæ.*
Styracis Calamitæ ãna. vnciam semis.
Olibani albi. drach. duas.
Mastiches.
Laudani mundissimi.
Succini albi. ãna. drach. semis.
Ligni Aloës scrupul. quatuor.
Misce fiat Puluis.

Pul. pro suffitu. HVIC si loculi passi fuerint nonnihil Ambræ ac Moschi adiicies ac candentibus prunis aliquantum huius pulueris aliquoties de die asperges.

INTERIM munda sint omnia, lecti, stragulæ, linteamina, & indusia sæpius mutentur, siccentur, soli ac vento exponantur, vt inquinamenta dispateant. Æger insuper consolatione animandus, ac in bonam spem omnibus modis erigendus, timor enim, metus, ac mortis, quæ præ foribus moratur expauescẽtia,

tia, spiritus ac cordis robur haud parum prosternunt.

INTEREA temporis æger quoque cibo sorbili ac exquisitè laudabili sæpius in die reficiendus, non enim hic vt in aliis morbis per peracutis inedia prodest, vires enim hic singulis horis, nunc medicamentis, nunc alimentis, modo odoramentis redintegrandæ ac reponendæ. Nolim tamen corpus multo cibo & onerari & aggrauari, sed succulento & substantificè nutriente. Prosunt igitur iuscula carnis, præsertim vero Gallinarum ac Caponum, nec non expressa, contusa, ac consummata quę vocantur, ac gelatinæ seu glaciata quale hoc est. Accipe Caponem iuuenem non valdè pinguem, hunc exenteratum deplumatum mundatumq; in tenues particulas discinde, ac ossa minutìm confringe, adde etiam si placuerit nonnihil carnis veruecinæ cui omnis pinguedo sit adempta, hæc igitur vino & aquâ Rosatâ ablue & cucurbitæ vitreatæ aut ollæ oblongæ immittito adiiciendo parumper Macis ac Cinamomi crassiusculè confracti, tum aquæ Boraginis vel Buglossæ vncias binas aut ternas affundito, quæ sic vase clauso feruentis balnei calore vsque ad omnimodam dissolutionem coquito, tandem adhuc calentia, mundo linteo excola ac leniter exprime, succumq; hunc

Cibus sorbilis.

Succus carnis glaciatus.

amplę patinę infunde, ac loco frigidiore probè tectum vt conglacietur repone. Huius glaciei tantum quantum cochlear capit, in iure carnis aut pulli brodio, (demptâ prius quæ supra glaciem efflorescit pinguedine) dissolue ac ægro exhibe. Carnes non comedat aut alia cibaria coctu minus facilia, vires enim his cibis conficiendis pares non sunt, tamdiu donec morbum aliqualiter superauerit & salutis spes affulserit. Probantur hic valdè brodia alterantia seu iuscula in quibus Pimpinella, Acetosa, Calendula, ac consimiles herbæ decoctæ sint, cum succo Citri ac Limonũ aut momento aceti Rosati vel de Rubo Idęo.

Brodia alterantia.

Conducunt hic etiam hordeata, auenata, amygdalata, & ius pulli in quo vitellus oui cum modico Croco dissolutus fuerit, addito pauxillo aceti alicuius cordialis, vel succi Citri, Limonum, aut Arantiorum subacidorũ. Vel accipe Pineas aut Pistachias in aquâ Rosarum maceratas, adde si libet nonnihil seminis Melonem excorticati, vel quatuor seminum frigidorum maiorum ab exteriori cortice mundatorum, hæc in mortario simul contunde, ac affuso carnis iure, aut pulli brodio, per setaceum aut pannum rariorem exprime ac transcola, & asperso tantillo Cinamomi puluere offer. Probantur etiam Panatellæ, cum succo Citri, Ribes, aut Granatorum.

rum. Indantur interdum iusculis species Cordiales, Diarhodon Abbatis, Diatrion Santalon, vel Diamargariton frigidum, & iuscula semper aliquid odorati habeant, vtpote Macem, Cinamomum, Santalos, Melissam, Roremarinum, vel quid simile.

His cibis mollioribus, ac sorbitionibus, æger sæpius diu noctuque reficiendus, vt titubantes vires fulciantur, & exhaustio resarciatur spirituum, sitque his leuioribus æger vsque ad quartum, vel pro conditione morbi, vsque ad septimum diem contentus, tunc enim liberius, à parciore manu ad pleniorem victum procedendum. Itaque tunc offerentur carnes ipsæ, verum teneriores, delicatioresque, vtpotè Agninæ, Hædinæ, ac vitulinæ, nec non Pullastri, Capones, Gallinæ, Turdi, Perdices, auiculæ montanæ, columbæ, oua sorbilia, pisces saxatiles, & id genus alia, quæ omnia cum aceto aliquo cordiali vtpotè Rosato, Calendulato, Florum Tunicæ, aut Rubi Idæi, vel addito succo vel pulpâ Citri aut Limonum vel Arantiorum mandere proderit. Nec incommodant acetaria nō quidem cruda penitus, sed leuiter ad mollitiem ac teneritudinem cocta, ex Lactucâ, Acetosâ, Endiuiâ, Pimpinellâ, Cichorio, Portulacâ, Boragine, Buglossâ, Melissâ, & similibus, addito Butyro vel oleo ac aceto passulato. Nec vero

Æger sæpius in die parcè tamē cibandus.

damnantur Poma, Pyraque, & Pruna Damascena ac Cydonia mala cocta, ac alia multi numeri fercula succum laudabilem procreantia, & in bonum sanguinem conuerti apta.

Potus Peste laborantium.

Potus mulsa sit tenuis, aut decoctum hordei cum Passulis & Cinamomo, cui Syrupum aliquem cordialem licebit adiungere. Vel coquatur hordeum cum Tamarindis ac decoctum iniecto sub finé Santalo citrino aut Cinamomo aromatisetur, egregiè hoc sitim sedat, imo & alui excretionem promouet, refrigerat, iecori prodest, cor recreat, & iucundè simul ac salutariter bibitur. Alioquin accipe aquæ fontanæ cui prius panis tostus vel à furno calens immersus fuerit, mensuram vnam, aceti ex vino quartam mensuræ partem, sacchari albi aut Tabulati Man. Christi simplicis vel Perlati vncias quatuor, transuasando commisceantur. Eundem in vsum seruit Syrupus Acetosus simplex aquâ hordei remixtus. Vel cape aliquot laminas à cornu ceruino resectas, has in aqua fontis coquito, decoctoq; huic adde, vini Berberorum aut Ribium, ac sacchari, singulorum quantum ad iucundi saporis conciliationem sufficere videbitur. Diuites bibant aquam Acetosæ, Rosarum, ac Boraginis, admixto vino Granatorum vel Cydoniorum, aut Syrupo de acredine Citri, vel decoctum ex cornu ceruino paratum,

Varia potuum genera.

ratum,

ratum, addito Iulepo Rosato. Vel accipe decocti ex cornu ceruino libras tres Syrupi violati ex cæruleo flosculorum succo parati vncias quinque, de vase in vas effundendo misceantur, iniiciendo aliquot olei vitrioli aut olei Sulphuris acidi guttulas, vt purpureum colorem potus induat, & leuiter saporis gratiâ acescat. Alii cerasa acida torrefacta in aqua coquunt cui sub finem aromatis nonnihil iniiciunt vtpote momentum Cinamomi, ac vase probè tecto refrigerari permittunt ac colaturam potant. Aqua frigida ægris hoc morbo conflictatis non concedenda, hæc enim vti supra monuimus nimis comprimit, & vel venenum intus impingit, vel spiritus iam labiles obruit, vel corpus aliter aggrauat vtpote quæ à calore natiuo qui hoc morbo omnibus iniuriis insidiisque impetitur, (vtpotè cruda) non euinci potest. Moriuntur ferè omnes, quos sitis in frigidæ liberaliorem potum adegerit. Decoctum ex cornu ceruino, sufficienti quantitate olei Sulphuris acidi aut vitrioli remixtum vt acidulam mentiatur, non modo innocuum verum etiam salutiferum esse potest.

Vbi vero febris ferocia nonnihil remiserit, ac nulla linguæ inflammatio, aut succensi visceris alicuius suspicio adfuerit, post sextum aut septimum diem communiter vinum cō- *Vinum.*

cedi poteſt olygophoron, aut aquâ Acetoſæ, vel ſucco Berberorum remixtum, cui cortices Citri aut Arantiorum flauedo immergi ſolet. Cautè tamẽ vinum porrigito ac magnâ animaduerſione eius vſum inito, aliqui etenim quinto & ſexto die eo ſalutariter frui poſſunt, quos ſi diutius ab eius potione detinueris, vehementer lædes, multos tamen reperies qui ne nono quidem, duodecimo aut decimoquarto id bibere audeant, quos ſi antè debitã occaſionem citius vino potaueris, in perniciem ſis acturus. Vinum autem tempeſtiuè ac ſuo loco conſideratis omnibus circumſtantiis exhibitum, magni medicamenti vicẽ gerit, hoc enim ægri celerrime recreantur, ac regeneratis denuò ſpiritibus vires reſumunt ac quodammodo reuiuiſcunt, vt mirari quandoque liceat, naturam tantoperè delaſſatam, pauci meri exhibitione tam citò refocillari ac inſurgere. Quantum porro vini potus in declinatione prodeſt, tantũ in morbi principio officit, in quo quidem faciem, nares, ac os vino abluere cõceſſum eſt, tranſglutire vero prohibitum, prout & ſi vredo linguam tenet, à vini collutione penitus abſtinendum. Magno ſanè deſiderio & æger & Medicus occaſionem vini exhibendi hic expectare debent, attamen præproperè vel inconſideratè eius vſum non ineant, & vbi

ſigna

ſigna aliqua contrariâ indicatione reluctantur, attentius dilutiusque bibendum. Vel accipe paſſulas mundatas pondere vnciarum ſex, his affunde aquę fontanæ feruentis libras duas, ſtent ſimul in infuſione donec ferè refrigerentur, tum affunde vini albi odoriferi libram vnã cum dimidiâ, ſtent ſic ſimul horis ſex aut octo, deindè per manicã Hippocratis aut cucullum in quem Cinamomi parumper demiſſum ſit ſæpius excolentur vt potus eò euadat clarior, magnoperè hic guſtui blanditur, ac colore, odore, ſaporeque arridet, in quo pro caloris ac ægri aut morbi ipſius conditione, vini quantitas modo augeri modo minui queat.

Interim Auicennæ conſilio quiete vtendum, attamen à morbi exordio ſomnus prolixior ac profundior penitus vitandus, etenim venenum intrò repit, vndè inteſtinas parat inſidias, attamen poſt quartum diem, vbi tumor aut bubo in aliqualem altitudinem ſeſe leuauerit, ad ſex, ſeptemue horas ſomnus protrahendus, quin etiam interſtitiis quibuſdam intercíſus ſopor, etiam interdiu nõnunquam amplexandus. Aluus interim ſit libera, & fæces iuſto more deponat, quod ſi ſpontè non fecerit, erit hæc ſuppoſitorio aut ſubditâ glande ſollicitanda, vel iniiciatur Enema aliquod leuiuſculum, ex decocto capitis ca-

Quies ac ſomnus.

Alui excretio.

ſtrati vel ex decocto hordei aut brodio carnis in quo Malua aut Mercurialis decocta ſit, addito vitello oui, Saccharo, aut Melle, vel modicâ Caſſiâ, Electuario Diacatholico, aut Trypherâ Perſicâ, cum oleo Roſato, violato, ac chamæmelino, vitando omnimodè ſolutiua, ne ventris fluxum proritent. Animi pathemata, ira, mœror, luctus, exulent, procuretur in quantum fieri poteſt gaudium, ſpes, & lætitia hæc enim omnia cordi libertatem conciliant, vndè non parum proderit, Muſicis concentibus ægros recreare, nam & Plutarchus libro de Muſica, Thaletem quendam Cretenſem, Peſtem à Lacedæmoniis muſicis modulis fugaſſe tradit, cuius etiam apud Pauſaniam fit mentio. Pedum plantæ bis die ſale, aceto, ſucco Rutæ ac Anagallidis confricandæ, & vnguenta, Epithemata, ac alia eiuſmodi medicamina, eo quo in præcedenti capite dictum eſt modo applicanda, adhibendaque. Sic cuncta ritè domino DEO adiuuante procedent, ſudores emanabunt, à ſudoribus æger ſæpius modo medicamentis, modo alimentis reficietur, & ad nouam pugnam armabitur, etenim à victu vires inſurgunt, dummodo æger non plus comedat, quam euincere poſſit, plurimi autem cibos ita auerſantur, vt vrgeri ac ad comedendum cogi quodammodo debeant. Plenior itaque hic victus inſtituitur

tuitur imbecillitatis metu, & quod Aetius ex auctoritate Herodoti, paucitatem cibi, materiæ prauitatem augere scripserit, vndè & Galenus, eos qui sibi ipsis vim intulerunt, & oblatos cibos assumpserunt, omnes ferè superstites permansisse refert. Sic etiam eæ quæ per odores ac alias vias refectiones parantur, suis partibus satisfacient, dum tantum his diligens ac dexter, vigilque clinicus adfuerit, qui pro debito more, modo, ac tempore, cuncta rectè administrauerit.

CAPVT. XX.

De tutelari medicatione, & præsidiis à Pestilenti lue præseruantibus.

QVOD ad ciuium conseruationem, & publicæ salutis custodiam attinet, multa hic mouere, multa hic monere conuenit, quorum aliqua communem vtilitatem, aliqua vero particulare cuiusq; commodum concernunt. Cum enim aduentantium morborum præcautio, sanitatis sit quædam custodia, sanitas autem in iusta elementorum sibi mutuo concursu iunctorum pro-

portione & symmetriâ, ac indè emergentis temperamenti certo quasi quodam gradu consistat, fit, vt corporum præseruandorum ratio, à principalioribus causis primùm petita, particularibus dehinc naturis ac indiuiduis accommodari debeat, vndè quot temperamentorum diuersitates reperire licuerit, tot præseruationis modos excogitare sit necesse, cum quodlibet temperamentum sua pro cum dignitate tum conditione & tractari & conseruari sese postulet. Mirari proindè satis nequeo, nonnullos communi ac promiscuo medicationis vsu, nullo causarum aut corporum his subiectorum discrimine habito, vnam eandemque vitę normam, vnum sese tutandi modum, vnamq; omnibus in vniuersum indiscriminatìm periculi effugiendi viam monstrare, quorum ego sententiam nec acceptandam nec retinendam esse existimo, vtpotè qui calida frigidis, humentia siccis miscere, ac inconuenientia omninò consilia tradere, mihi videantur. Etenim quæ calidis naturis commoda existunt, quis hæc frigidas lędere dubitabit? & quæ humidis conueniunt, siccis eadem profutura censebit? nescio proindè an non maior in præcauendâ quam curandâ Peste Medici dexteritas requiratur. Singulæ igitur naturæ singulas præseruationes exigunt, quas ætas, anni tempus, regio,

cœli ſtatus, vitæ ac victus conditio aut vſus ac conſuetudo inſuper tractandi corporis moderauerit. Sunt hæc autem ab origine & primis omnino cauſis petenda, vtpotè quarum ignoratio, totius medicationis operam peruertat. Longè proindè aliter ac contrario ferè aut ſaltem diſpari planè modo, humanum corpus ab inquinamento Peſtis cuſtodiendum ſi vitium ab aëris corruptelâ pendet, quam ſi terra hæc labes à prauo nutricatu & ſuccis intus putrefactis ac malignitate peſtiferâ indutis, vel contagione aliqua extrinſecus adueniente proceſſerit, hæc enim ſingula pręſeruationis ſcopum ad ſe rapiunt, quorum cuilibet ſingulari præcautione occurrenddum.

Itaque cum vbi ſupra de cauſis Peſtis ageremus, eandem triplici potiſſimum occaſione ac principio ſuboriri tradiderimus antiquis priſcorum veſtigiis inſiſtentes id quod vltimum in reſolutoria methodo reperitur, omnium primò remoueri debere, vniuersâ ferê peritorum Medicorum cohorte nobis adhærente ſtatuimus. Tres porro anſas Peſtem ad humano generi damnũ inferendum arripere iam dudũ demonſtrauimus, vt cum hæc aëris ſua ſponte ſuſceptâ noxâ in mortales ſæuit, aut cum hæc ex inordinatâ tempeſtatum conſecutione aut cœli inclementiâ *Triplex Peſtis ortus.*

nim-

nimbis ac Austris & pluuia eorum constitutione proficiscitur, aut si ex vitiosa nutricatione ac succis in corpore putrefactis ac à naturali crasi longè abalienatis suscitatur ac impuro contactu contrahitur. His singulis singula debetur attentio quorum seriem debito sic ordine prosequemur.

Si aër per se vitium habet, erit hic odoribus, ventis, motionibus, concussionibus, imo igne repurgandus, quod cum semper & vbique & à quouis fieri nequeat, securissima erit in alienum & quidem longinquum locum præcipuè vero versus septentrionem fuga, nisi quis officii publici ac muneris ob Rempub. obeundi, vel domesticæ ac familiaris rei vi ac occupatione detentus fuerit, atq; hoc est quod Hippoc. lib. de natura hominis innuit cum ait. *Regionum locos in quibus morbus consistit, quantum eius fieri potest, permutare oportet & corpora attenuare, sic enim minimè multo, ac denso spiritu homines opus habuerint.* Hac de causa exercitia paulò vehementiora & motus insolentes damnantur, quod eorum occasione multus attrahatur aër, qui contaminatus cum sit, facilè cor subintrás idipsum dira lue polluat, nisi calidi innati fortitudo, ac vitalis roboris firmitas eundem excusserit vel superauerit, ac insuper corpus excrementorum superuacaneorum collectione ac redun-

dundantiâ (per quam tanquam certâ quadam diathesi præparatum, fomitis instar inquinamenta morbi facillimè suscipit an sustentat) vacauerit.

Tunc itaque non in priuatis tantum ædibus, verum etiam in vicubus ac plateis, ignes excitandi, iique ex lignis siccioribus, vtpote ex quercu, iunipero, fago, aut vitium sarmentis, ac tædâ, sic enim turpia miasmata absumuntur & aër ipse siccescit, huicque insidens labes dissipatur aut sursum refluit, quomodo Hippocratem ea in Peste quæ ex Æthiopia in Græciam serpsit, extructis per vrbem rogis, odoratissima igni ligna iniecisse, quin etiam coronas ac flores suauissimos ac aromata huic intulisse, atq; insuper odorata vnguenta infudisse legimus, vt cum ignis calore ac virtute, tum odorum fragrantiâ, aëris noxa profligaretur, & is ipse euaderet purior, quo etiam consilio quondam Empedocles & Agrigentini Medici nõ sine vtilitate vsi fuisse traduntur. Prodest hic etiam Sulphur hinc inde accendere, aut tormenta bellica manè ac vesperi in aëra explodere, sic enim aër commouetur, vitium excutitur, madorque eius & putredo, Sulphuris & Nitri calore ac siccitate corrigitur. *Aëris per ignem correctio.*

Speciatim porro hic iuuant, ea quæ naribus odoris gratia accommodantur, quæ quidem

Odoramenta. dem idcirco frequenter odorantur, vt calore aut ſiccitate quam habent, aërem continuò attrahendũ emendent. Multi proindè Camphoram vtiliter manu verſant, alii Rutam rectè olfaciunt, ſunt qui Hircum eo tempore nutriant, vt graui eius nidore frui poſſint, aliqui antè matutinum è domo egreſſum, nares latrinis ac cloacis adhibent & copioſo indè educto ſpiritu ſeſe replent, ſic ſeſe à Peſte tutos reddituros exiſtimantes, nec deſunt qui canes interfectos plateis exponant, eorum cadauerum fœtore, aëris noxam ſublatam iri ſperantes, quorum tamen conſilium vix probauerim, etenim licet à fœtidâ aurâ cor abhorreat, ideoque minus quam odorati aëris attrahat, hi tamen qui eiuſmodi fœtoribus validam aëris inquinati attractionem prohibere volunt, efficiunt vt vel paucus is qui cor *Fœtores.* ſubit, longè euadat impurior ac fœdior, niſi vnam putredinem alteram demoliri dixerint, quod an fiat, vel fieri poſſit, hîc non diſputo. Magis porro aromaticos odores vtpotè calidos, ſiccos, & igni miaſmata & inquinamenta aëris abſumẽti perſimiles commendauerim, vndè Galliam ac Aliptam moſchatam, Styracem Cyperum, Laudanum & his ſimilia laudauero, vt hæc naribus crebro obuerſentur. Magnæ hic etiam vtilitatis ſunt candelæ ſeu *Cerei aromatiſati.* cerei aromatum admixtione parati, iucun-

dum

dum inter ardendum de se odorem fundentes, quos in ægrorum maximè præsentiâ, antè faciem continuo gestare decet, vt igne labes inspirandi aëris expurgetur, & cor interim odorum suaueolentia refectis indè spiritibus recreetur. Præcipuam laudem merentur globuli odorati seu Poma Ambræ quale in hunc ferè modum coaptari poterit.

℞ *Laudani mundissimi vnciam semis.* *Pomum Ambra.*
BenZoini.
Styracis Calamitæ. ãna. drach. duas.
Rad. Iridis Illyricæ.
Santali Citrini.
Rosarũ redolentissimarũ. ãna. drach. vnã.
Caryophyllorum.
Corticum Citri.
Calami Aromatici.
Ligni Aloës.
Cinamomi.
Cyperi rotundi. ãna. scrupul. semis.
Moschi fini. grana, octo.
Ambræ veræ grana septem.
Zibethi grana. sex.

Subigantur ex Muccagine Tragacanthi tracta ex aqua Rosarum, Anthos, Iasmini, Corticum aut florum Citri, vel Arantiorum, aut alio aliquo liquore odorato, & ex massa fingatur Pomum odoriferum.

Variæ

Variæ eiusmodi pomorum compositiones ab auctoribus passim recitãtur, quas breuitatis causâ omisimus. Possunt autem eiusmodi poma odorato aliquo oleo extrinsecus illiniri, eum odorem habente, qui ei qui hoc vti voluerit omnim maximè arriserit, vtporè oleo Macis, Caryophyllorum, Cinamomi, Citri, Maioranæ, Rorismarini, vel Liquidambare. Alioquin Puluis violarum odoratus additâ modicâ Camphorâ aut Galliâ vel Aliptâ moschatâ, serico inuoluitur, fitque nodulus qui crebro naribus ad odoris blandimentum adhibetur. Vel

Noduli odorati.

℞ *Herbarum Rorismarini.*
Melissophylli.
Thymi.
Maioranæ.
Origani.
Menthæ.
Lauandulæ.
Rosarum.ãna.pug.vnum.
Spicæ Celticæ grana sex.
Nucis moschatæ.
Caryophyllorum.
Cinamomi.
Ligni Rhodii.
Rad. Angelicæ ãna. drach.vnam.
Includantur Syndoni ac fiant noduli qui maceo-
rentur

rentur per noctem in vino albo odorifero cui permixta ſit aliqua portio aquæ Roſarum, vel ſi malueris ſubmergantur in aceto & exinde odorentur.

Vulgus percommodè acetum Rutaceum (Camphoratũ præſertim) olfacit, quod ſpongiâ exceptum, ac capſulæ Iuniperinæ foraminulentæ incluſum ſecum circumferre ſolet. Multi ſola Camphora contenti, nihil ferè aliud naribus adhibent.

Sunt hæc omnia aëri repurgando emendandoq; accommodata, vt is ſalubrior inſpiratu corpus ſubintret, quæ tamen parum iuuare poſſe videntur, ſi Peſtis non ex aëris vitio aut cœli inclementiâ, ſed à prauis corporis ſuccis in malignã corruptelã ac inſignem prauitatem abreptis originem duxit, excepto hoc quod odoris ſuauitate cor continuò reficiant, & ſpiritus exindè ſuſtentent, attamen cauſæ principali tunc non opitulantur, licet in omni Peſte commodè & abſq; noxâ vſurpari queant.

Quod ſi vero Peſtis ab ingenti putredine & humorum deprauatione ſuborta fuerit, corpora non vt antè dictum eſt quietè tenenda ne multus labor multi aëris attractionem requirat, qui inquinatus cum ſit hominem offendere poſſit, ſed contrario planè modo *Peſtis ab humorum deprauatione ac corruptela.*

crebris exercitiis commouenda, sic enim sudores promanabunt, & sanguinis ichores, ac cum his tetræ fuligines venis inhærentes promptè euacuabuntur, nec succi tam facilè putrefient aut corrumpentur, qui alioquin sub segnitie corruptioni plus magis fiunt opportuni, quod notans Ouidius primo de Ponto sic cecinit.

Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus?
Vt capiant vitium ni moueantur aquæ?

In Peste quæ ab aëris vitio pēdet exercitatio nocua est, plurimum vero commodi adfert ea in Peste quæ ab humorū deprauatione processerit.

Itaque si causa Pestis in aëre hæret, exercitatio hoc nomine obest, quod copiosiorem inspiratum efficiat, at vero vtilis est hæc ipsa maximoperè, si intra corpus ex fœdis succis aut prauo victu lues hæc enata fuerit, quod excrementorum exclusionem promoueat, & corpus insensili transpiratu repurget. Exercitatio vero conuenit non nimis valida ac vehemens quæ lassitudinem aliquam aut defatigationem insignem inuehere valeat, vndè corpora reddantur infirma, ac ad resistendum causis externis minus sufficientia, sed mediocris, quæ corpus modicè incalescere faciat, ac pororum apertionem procuret. Atque vt paucis multa complectamur, vna tunc præseruationis vis ac dexteritas in hoc consistit, vt corpora mūda sint ac robusta, munda quidem, ne morbi materiam ac fomitem circumferant, robusta vero, vt lædentibus causis fortius

Duo præcipui præseruationis scopi sunt corporum mundities & robur.

fortius obnitantur, ac contra infectionis spicula alacrius dimicent. Erunt autem munda vel propriâ ac natiuâ bonitate, vel si eam spontè non obtinuerint, sed cacochymiâ aut crudorum succorum copia circumfusa fuerint, studendum erit cumprimis, vt noxii humores purgante pharmaco resecentur, quod tamen validum non esse decet, sed lene admodum ac blandum, ne sua vi humorum orgasmum & conturbationem exuscitet, meritò in Pestilenti lue formidandã, excepto hoc quod fortiora illa solutiua nobis dicta, vires simul aufferãt, appetitum deiiciant, nauseam ac vomitum quandoque moueant, ac ventriculum (cuius hic vigor strenuè cõseruandus) perturbent.

Munditiem hanc corporum, plurimum adiuuabit loci in quo homines commorantur ac deguat puritas, laudabile proindè magistratuũ hoc institutum est, quo plateæ, vicus, angiportus, ac sentinarum publicarum ostia sæpius ac diligenter repurgari iubentur, in quæ postquam mundata fuerint calcem viuam inspergere commodum erit, hæc enim, calore ac siccitate insigni, residuam putredinem absumit, & fœtorem indè oriri solitũ auffert. Sues & sterquilinia extra ciuitatem ablegentur, & ægri à sanis quam citissimè separentur, magniq; hominum conuen-

tus in nuptiis ac publicis ſpectaculis in diem vſque ſanitatis vbi à contagione pax eſt ſuſpendantur. Infectorum domicilia donec probè per aliquot hebdomadas repurgata fuerint obſerentur, & Peſtis tempore nulla vel veſtis, vel lectus venalis exponatur qui fomitem mali latius propagare valeat, obſeruatum enim fuit multam ſæpè labem ex veſtibus contractam fuiſſe, prout cum per Germanos Verona teneretur accidit, vt ex vna veſte pellicea, quam vnus poſt alium induebat, viginti quinque perſonæ obierint. Similiter ægrorum linteamina intra vrbem minimè eluantur aut deſiccentur, ſed locis ad id extra mœnia deſtinatis, qua ratione nec eorum lectuli intra ciuitatem inſolandi. Repurgantur autem lecti vtplurimum crebra inſolatione, ſole miaſmata abſumente, & concuſſione ac conuolutione vehementi, linteamina vero acri lixiuio in quo odoratæ herbæ nonnullæ aut Abſinthium, vel Scordium decoctum ſit eluuntur ac reſiccantur, deindè vero rurſus calida primùm aqua, abhinc vero frigida mundificantur, ac ventis ad tempus exponuntur. Veſtes ſuffumigiis, ventilatione, ac inſolatione redduntur puræ, aut in furnum calidum demiſſæ, validiſſimè exiccantur, iiſque poſtmodũ acetum Camphoratũ aſpergitur, & denuo ſiccatæ herbiſque odoratis

Indumentorum repurgatio.

obrutę

obrutæ, aliquantiſper reponuntur vtpotè quarum antè annum tutus vix poſſit eſſe vſus. Et hæc quidem omnia ad munditiem ſpectant, in qua magnam ſanitatis conſeruandæ ſpem collocandā eſſe iudico, nunc quo modo corpora robuſta eſſe aut effici valeant videndum.

Corpora partim alimentorum, partim medicamentorum vſu robuſta cum fiant, ſtudendum erit maximoperè, vt Peſtis tempore ſaluberrimorum eduliorum eſus ineatur, vtque olera pleraque, nec non fructus fugaces, & ea quæ vel facilè corrumpuntur ac putreſcunt, vel prauos ac illaudabiles ſuccos præſtant, deuitentur. Vtiliſſimum fuerit acetum, ſuccum Granatorum, Berberorum, vel Ribes menſis crebro adhibere, hæc enim ciborum in ventriculo corruptionē arcent, ac ſanguinis ebullitionem compeſcunt, frigidis tamen naturis, ac mulieribus præſertim, aceti creber vſus noxius eſſe ſolet. Commendantur hic Cappares ac oliuæ muria conditæ, necnon Butyrum recens, à principio paſtus cum modica Ruta ac Saluia deuoratum, aluum enim lenit, & venenis reſiſtere creditur. Nonnulli ſaxatiles piſces probant, eo quod ſanguinem frigidiorem generent. Alioquin cibos decet offerre odoratos, & iuſcula Macem, Crocum, aut Cinamomum habentia, ſitque hic victus *Cibus.*

 plenior

plenior & liberalior solito, ita tamen ne corpus aggrauet, aut cruditatibus distendat. Hortor autem hic & moneo, imo vero obsecro ditiores ac opulentos, vt egenis larga tunc Elemosyna succurrant, quo & ipsi suam famem explere, & exinanita corpora admodum infirma, & causis quibuslibet morbificis obnoxia, paulo vel salubriore, vel copiosiore cibo reficere valeant, qui enim tunc pauperem pauerit, is eum non modo ciballe & quoad nutritionem spectat eidem prouidisse, sed etiam alimento tanquam præseruante medicamento prospexisse censendus erit. Sanè pauperes quia prauo victu vtuntur ex quo corpora habent imbellia, ac nullo vel pauco robore gaudentia facillimè Peste corripiuntur, quibus liberali dextra, ac largiori sustentatione subueniendum.

Potus. Potus Peste grassante vinum sit vetus, odorum, ac pellucidum, aut Ceruisia tenuior diuturniore situ probè defœcata, vel etiam mustum artificiale quale vulgus ex Iuniperi baccis, Acatia, & Berberorum vuulis parare nouit. Salutariter hic in prima mensa potantur vina aromatica, vtpotè Zedoariatum, Enulatum, Absinthiacum, Rorismarinatum, Iuniperinum, Saluiatumque, ac frigidis planè temporibus Hippocraticum, hæc enim omnia spiritus augent, cordis vires fulciunt, & putredini resistunt. In

mensam

mensam quoque veniant Salia illa chymica ex Ruta, verbena, Carduo Benedicto, Absinthio, veronica, Scordio & similibus parata, quorum grana aliquot, primo cochleari licebit inspergere, nec inter secundas dapes nuces negliantur, quas plurimum Pesti aduersari credidit antiquitas. Coitus nimius & balnea vitentur, cum quia corporis vires eneruant, tum quia humores quandoque exagitant & supercalefaciunt. Lætam interim & plenam bonæ spei vitam homines duçant, nullis mœroribus consternati, nullis curis anxii, nullo denique metu perterrefacti, & quia vinum creatum est ad lætitiam, ideo paulò liberius eo fruantur hi, quibus meticulositas mentem occupauit, non tamen sese hoc ipso ingurgitent, sed iucunditatis poculo contenti ad curarum anxietatumque discussionem eo vtantur. Hilaritatem quoque procreant viridaria qualia ęstatis temporibus ac feruente æstu ementiemur, sparsis per cubile pampinis aut Salicis, Nympheæ, Plantaginis, Taraxaci, Violariæ, Polygoni ac Rosarum, frigidiori vero cōstitutione Saluiæ, Rorismarini, Melissæ, Lauandulæ, Origani, Lauri & similiū frondibus, floribus, foliisque, quæ omnia aceto quam acerrimo aspergere, aut domus parietes hoc ipso madefacere conuenit. Sunt qui horum loco sacculos cordiales pectori

Salia Chymica.

Coitus & Balnea.

Animi motus.

admoueant continuoque secum gestent. Vt

℞ *Pul. violarum odorati ex præscripto.*

Moscambra. *Augustani Dispensatorii parati.*

drachmas decem.

Herb. Melissæ Citrariæ.

Rorismarini.

Rutæ.

Rosarum. ana. pug. vnum.

Ligni Aloës.

Santali Citrini. ana. scrupul. duos.

Ligni Rhodii drach. vnam.

Spec. de Gemmis frig.

Cordial. temper.

Diarhod. Abb ana. drach semis.

Camphoræ grana. quinque.

Insuantur serico suturâ interpunctâ & f. Moscambra seu sacculus cordialis supra regionem cordis gestandus. Cui si libuerit Galliam moschatam adiungere poteris.

Interim tamen excretiones solennes & consuetæ, vtpotè sudorum, hæmorrhoidum, mensium, & aliæ euacuationes harum vicem supplentes, non negligantur, & aluus iusta proportione, ac debito modo respondeat, quæ si officium suum ritè non præstiterit, passulis laxatiuis aut Zibebis vel prunis in decocto aliquo solutiuo aut ecoprotico enutritis ac

Alui excretio.

tis ac tumefactis ſollicitanda. Egregiè vero ſegnem hac in parte naturam exuſcitant Pilulæ Aloëticæ, ſcrupuli vnius vel duorũ pondere, antè paſtum transglutitæ. Maximam porro laudem in Peſtilentis luis inſultibus debellandis merentur Pilulæ illę Peſtilentiales vocatæ, ex Aloë, Myrrha, & Croco conſtantes, quibus præcipua quædam vis ineſt peſtiferas contagiones auertendi, & corpora à putredine immunia conſeruandi, etenim Aloë ventriculum & inteſtina mundificat, infarctos in his humores abſque inſolenti agitatione educens. Myrrha à corruptione vendicat, & Crocus reparatis ſpiritibus cordis vires auget, ac ſanguini æquabilitatem ac ſplendorem conciliat. Harum pilularum inuentio antiquiſſimo Medico Ruffo adſcribitur qui tamen pro Croco, Ammoniacum habet, vt ex Paulo Ægineta lib. ſecundo cap. trigeſimo ſexto patet, quod medicamenti genus is ipſe potionis formâ exhibet hoc modo. *Pil. Peſtilentiales.*

℞ *Aloës partes duas.*
Ammoniaci Thymiamatis partes duas. *Ruffi potio.*
Myrrhæ partem vnam.
Hæc trita in vino odorato fabæ magnitudine quotidie dentur.

Haud ſcio (inquit Ruffus) *an ſit quis, qui ex hoc potu non à Peſte immunis ac ſuperior euaſerit.*

Et sanè viri huius tam insignis inuentú, longas per ætates, remediorum periclitatrix probauit experientia, cuius nos quoque firmum ac fiduciale iuuamentum esse testamur, dummodo ritè id personarum qualitatibus ac debitis circumstantiis ponderatis exhibeatur. Senes enim & grauidæ prout & hęmorrhoidum dolore diuexati ab hoc medicamine læduntur, aliis vero corporibus & crudis maximè ventriculis aut superfluo cibo onustis, salutare ac proficuum pharmacuum existit. Alii sic parant.

℞ *Aloës soccotrinæ. vnciam semis.*
Myrrhæ selectæ.
Ammoniaci mundissimi. ana drach. duas.
Camphoræ.
Croci. ana. scrupulum. vnum.

Ex vino aromatico redigantur in massam quæ in Pilulas efformari queat.

Aliqui Rhabarbarum, Agaricum, Bolum Armenum, & his similia adiungunt, de quibus cuique suum sit iudicium, ego communibus illis additâ modicâ Camphorâ felicissimè vsus sum. Florentini hac compositione vtuntur.

Florentinorum pilulæ.

℞ *Myrrhæ rubræ.*
Boli Armen.
Coralli rubei.
Carabe seu succini.

Croci.

Croci ana.drachmam vnam.
Myrobalanorum Chebulorum drach. duas
Aloës drachmas septem.
Vini albi quantum sufficit. Fiat massa.

Ieiunus nemo in publicum prodeat, sed sumpto prius ientaculo aut deiunio à Gallis vocato, aut medicamine aliquo eius vicem supplente. Cõmodissimè autem primo manè tunc temporis sorbetur spiritus ille è Iuniperi baccis extillatus nec non vinum Absinthites aut Zedoariatũ. Vel accipe Zedoariæ vnciam dimidiam, Camphoræ drachmã vnam, ligentur in nodulo, qui immergatur vini albi poteris libris quinq; huius vini potet quis ieiunus vncias tres vel quatuor atequã forum adeat. Nonnulli minus delicati Allium concisum aceto macerant, ac aceti huius manè portionem aliquam assumunt ieiuni. Cornelii Agrippæ medicamentum hoc erat. Sumito aquæ Rosarum, Acetosæ, Aceti Rosati, vini Maluatici, singulorum partes æquas, his liquoribus Bolum Armenũ, Cortices Citri, Zedoariam, & Crocũ immergito, additâ conseruâ Rosarum, de qua mixturâ sæpè nonnihil potetur. Ari maculosi succus cum aceto datus, Pestis est antipharmacum vt Tarquinius Ocyorus refert. Theriaca quoq; sumitur à ieiunis pisi magnitudine magno Pestis arcendæ argumento, vndè etiam sicab Andro- *Theriaca*

Andromacho ad Cæſarem ſcribente commendatur.

Neu te dira lues, neu lædat noxius aër,
Hanc cape cum primo eſt Sole reuecta dies.

Idem præſtat Mithridatium, Aqua Theriacalis, Stapediana, & ſolemnes nonnullæ Antidoti. Aduertendum tamen ſemper prout Cornelius Celſus monet, ne in proſpera valetudine aduerſæ præſidia conſumantur. Inter cætera vero probatur Electuarium ſeu Conditum Stapedii pro familia conſcriptum, ſupra à nobis recitatum, quod fabæ quantitate, antè cubiculi exitum quotidiè aſſumatur. Nonnulli ex plebe vrinam bibunt propriam, hoc ſeſe pharmaco aduerſus Peſtiferæ luis contagia munientes, quod quidem medicamenti genus tametſi ſordidum ſit, non improbamus, vrina enim omnis ſalſa cum ſit, corpora à putredine conſeruat, meatus omnes aperit, & abſtergendo noxam eluit, quæ etiam aliis in morbis, ab obſtructione viſcerum natis bibita, plurimum quandoque poteſt.

Ore geſtanda.

Exiturus, faciem, frontem, tempora, arterias, os, ac nares aceto Rutaceo vel vulgari aut Camphorato riget, aut cordis regionem, & præcipuos arteriarum locos oleo Scorpionum perungat, ac inter eundem Angelicæ, Zedoariæ, aut Pimpinellæ vel Oſtrutii radices aceto præmaceratas (ſic enim capiti dolorem non inferent) aut Citri cortices ore continuò volutet, venti ſemper motum obſeruando, vt hic colloquentium halitum à nobis abigat. Ad idem proſunt Hypoglottides iſtiuſmodi.

Hypoglottides.

℞ *Corticum Citri extimorum drach. duas.*
Zedoariæ.
Angelicæ. ana. drach. vnam ſemis.
Xyloaloës.

Iridis

Iridis Florent. ãna scrup. duos.
Nucis moschatæ.
Cyperi rotundi.
Cinamomi.
Caryophyllorum. ãna. scrupul. vnum.
Ambræ. grana tria.
Moschi. grana duo.
Sacchari candi ad pondus omnium.

Ex muccagine Tragacanthi cum aqua Rosarum fiant orbiculi sub linguâ tenendi.

Multi indusia aceto perfundunt rursusque exiccant ac postmodum induunt, alii vestes suffumigio ex Thure, Laudano, Styrace, Iuniperi & Lauri Baccis, aut aceti in laterem ignitum proiecti vapore repurgant, Opulenti, & præsertim ij quibus caput infirmum est, Ambram spiritui vini ex Maluatico distillati immergant, de quo liquore manè aliquot cum pane sumant guttulas. Vel:

℞ *Tormentillæ.* *Remedium pro magnatibus.*
Serpentariæ. ãna. vnciam semis.
Angelicæ.
Zedoariæ. ãna. drach. duas.
Cort. Citri drach. vnam semis.

Spiritus vini è Maluatico distillati libram vnã semis. stent in infusione vase clauso per dies octo postea colentur & in colatura suspendatur.

Spermatis Ceti. drach. vna.
Ambræ veræ scrupulus vnus.
Moschi. scrupulus semis.

Dosis guttæ duæ vel tres cum Saccharo Rosato vel buccellâ panis.

Pauperes sequentis pulueris scrupulum aut dimidiam drachmam manè ex iusculo carnis aut cereuisiâ assumere poterunt:

℞ *Rad. Carlinæ.*
Ostrutii.
Pimpinellæ.
Dictamni albi.
Zedoariæ.
Angelicæ.
Corticum Citri. ana drachmas duas.
Camphoræ scrupulum vnum.
Misce fiat Puluis.

Obseruandum tamen, corpora præseruanda purgantibus prius pharmacis esse eluenda, impura enim corpora a calidis his facillimè noxam ac detrimentum capiunt. Inter euporista, recensetur peruetustū illud medicamen Mithridatis, quod Pompeius victor, referente Plinio, in scrinio Regis inter spolia reperisse dicitur, de quo Q. Serenus sic canit.

Euporiston ex Nucibus.

Antidotus vero multis Mithridatica fertur
Consociata modis, sed magnus scrinia regis
Cum raperet victor, vilem deprendit in illis
Synthesin, & vulgata satis medicamina risit.
Bis denum Rutæ folium, salis & breue granum,
Iuglandesq́ duas, totidem cum corpore ficus,
Hæc oriente die, pauco conspersa lyæo,
Sumebat, metuens dederat quæ pocula mater.

Recentiores cum hæc contra veneni vim agere cernerent, Electuarium quoddam composuerunt à Nucibus nomen habens id sic habet.

El. Nucū.

℞ *Nucleor. Nucum Iuglandium librā vnam.*
Caricarum pinguium libram semis.

Fol.

Fol Rutæ ſiccatorum vncias quatuor.
Sem. Acetoſæ.
Rad. Tormentillæ.
Angelicæ.
Granorum Iuniperi. *Aniſi.*
Zingiberis. *Cinamomi.*
Granorum Paradyſi.ana.drach.duas.
Rad. Enulæ.drach.tres.
Boli Armeni. *Terræ ſigillatæ.*
Dictamni. ana.vnciam vnam.
Specier. Diamargarit. vnciam ſemis.
Syrupi de Cort. Citri q.s.f. El. molle.

Proſunt hic Tabulata illa cordialia, vtpotè de Extracto Ligni Aloës, Angelicæ, Zedoariæ, Panacis Heraclei, Cord. Alex. Ben. & ex Pul. Rubeo Pannonico, & innumera penè alia. Inter mea poſt DEVM præſidia tale fuit.

℞ *Herb. Abſinthii vulgaris, manip. vnũ ſemis.* *Vinum Theriacale quo ego vſus ſum.*
Scordii.
Cardui Benedicti ana manip. vnum.
Dictamni Cretici. manip. ſemis.
Cort. Citri. vnciam ſemis.
Rad. Pimpinellæ. vnciam vnam ſemis.

Inciſa groſſo modo miſce ad ſyndonem candidã, fiat Puppa ſeu nodulus, qui immergatur vino, de quo potetur hauſtus vnus poſt ſumptum ientaculum.

Amuleta hic ſunt Corallus, Smaragdus, Hiacynthus, Aranei, Argentum viuum auellanæ incluſum, & Zenechton ex Arſenico cum puluere Bufonis, quæ de collo

de collo geſtare proderit. Paracelſus Chelidoniam in plenilunio aut nouillunio collectam, ac collo appenſam commendat, alius Plantaginis maioris ſuo tempore euulſæ radicem extollit, plurimi piloſum Taxi corium geſtant, ac ſe hiſce præſidiis vt poſſunt, muniunt. Grauidæ & pueruli ac infantes qui ſupra dictis remediis tuto vti non poſſunt, probè in victu gubernentur, pareturq; puluis ex Corallis Margaritis Tormentilla, Cornu Ceruino, Ebore, Bolo Armeno, Terrâ ſigillatâ & corticibus Citri, qui cibo & pultibus aſpergatur, aut lambant Syrupum Acetoſitatis Citri cum Oxyſacchara aut Syrupo Acetoſæ ac ſi malè ſenſerint detur eis Puluis Rubeus Pannonicus aut ſpecies de Gemmis vel Cordiales temperatæ, ac Diamargaritton. Eadem medicatio grauidis proderit, ex citro maximè ac Cydoniis confecto medicamine.

Puerorum & grauidarum remedia.

Atq; hæc ſunt, quæ pro amore patriæ, ad DEI omnipotentis totiusq; cœleſtis curiæ honorem conſcribere, ac inter Practicas occupationes alias in lucem edere licuit, quæ ſi candido lectori placuerint, à dirâ hac lue digreſſi, forſan breui iucundiora dabimus, vt ingenium diſpari ſtudiorũ varietate & exerceatur & recreetur. Complura de his forſan Noſocomii ſeu Xenodochii noſtri Chyrurgus Alexander Spiſwechus, libello ſuo Germanico idiomate conſcripto ad Peſtis maximè Chyrurgiã ſpectantia DEO dante breui eſt emiſſurus. Æternum autem ac immortalé rerum omnium conditoré moderatoremq; DEVM, humillimis precibus exorare conuenit vt hæc quantulacunq; remedia, quæ & is ipſe condidit, imo etiam conatus noſtros, benigna miſeratione, & diuino aſpiratu clementer adiuuare & proſperare dignetur, cui ſit honor, gloria, laus, benedictio, & gratiarum actio in ſæcula ſæculorum. AMEN.

FINIS.